Gabrielis Harueij

Gratulationum Valdinenſium

Libri Quatuor.

Ad Illuſtriſſ. Auguſtiſsimámque Principem, ELIZABETAM, *Angliæ, Franciæ, Hiberniæq;* Reginam longè ſereniſsimam, *atq; optatiſſimam.*

LONDINI,
Ex officina Typographica Henrici Binneman.
Anno. CIↃ. IↃ. LXXVIII.
Menſe Septembri.

ELISABETHA

AD MAGNIFICEN-

tiſsimam, auguſtiſsimamque Princi-

pem, ELIZABETAM, *Angliæ, Franciæ, Hi-*

berniæq; Reginam longè ſereniſsi-

mam atq; optatiſsimam.

PArce precor Iuueni: ſolum præfatus Honorem
Ante pedes iaceo Regia Diua *tuos.*
Non ego Legatus; non Internuncius adſum;
Non Vates: Vatem fac tamen eſſe nonum.
Sic Audleiani nuper volûere Penates,
Dum tantam exciperent, ſuſpicerentq; Deam.
Da veniam Vatiq; nouo, inueniq; Thaliæ:
Nec verear tantæ thura litare Deæ.
Ecce tuum tibi χαῖρε: tui tibi χαῖρε Roberti:
Burgleijq; tribus, χαῖρε, Valeq; libris.
Debitum erat tibi χαῖρε tuum: debentur eorum:
Haud tua, quæ tua ſunt, ſunt magè, quàm ſua ſunt.
Aulicus ille tibi: tibi Conſiliarius ille:
Optimus officijs illeq;, & ille ſuis.
Librorum numerus creuit: quartúſq; ſalutat
Oxonium, Hattonum, Sidnëiumq; liber.
Magna eſt Oxonij Virtus: viget alter, & alter;
Hattonuſq; tuus; Sidnëiuſq; tuus.
Multi aderant alij Heroes: ſed tempus iniquum
Haud tulerat plures accumulare libros.
O ego quàm vellem quintum adieciſſe libellum;
Atq; ſuo cunctis dicere χαῖρε loco?
Quinq; dies rapido nimis effluxêre volatu:
Defuit & coptis hora petita meis.

Quid facerem? debere istis mihi plura videbar;
Iussit & his primos scribere Apollo modos.
Iamq; meus lentè si festinâsset Apollo;
Curreret & volucri ni mea Musa pede:
Horum etiam ipsorum mihi scilicet vnus, & alter,
Inuito Phœbo, prætereundus erat.
Ast mea praproperis pennis innixa Thalia,
Mandatum peragam, dixit, Apollo tuum?
Prapetesq; extemplo contendit concita cursu:
Instar erat venti; turbinis instar erat.
Hoc tamen absimilis, quòd non semel illa respirat,
Mandatum exegit donec, Apollo, tuum.
O tam prompta, foret tantis Magnatibus apta,
O ea, tanta esset, tam cita, digna Dea.
Ast Dea tam mitis, tamq; es Regina serena,
Vt tibi non metuat dicere χαῖρε, volans.
O liceat dixisse diu, dixisseq; semper
χαῖρε tibi: fœlix Anglia semper erit.
Tu quoq; ter fœlix, ac nos sine fine beati
Viuemus, salus est queis tua, certa salus.
Parce precor Vati: tenuiq; ignosce Thalia,
Quæ Maiestatis seruula fida tuæ est.
Grata est, sed rudis est: pia, sed subrustica Musa:
Et vult, sed nescit perplacuisse tibi.
Numina ei faueant, & sit magè dextra Minerua:
Sæpiùs illa tuos strata erit ante pedes.
Interea veniam submissa voce precata,
Suppliciter Dominæ, χαῖρε, Valeq;, sonat.

Illustrissimæ tuæ Maiestatis longè
humillimum in modum obsequentissimus,

GABRIEL HARVEIVS.

¶ GABRIELIS HARVEII

χαῖρε, vel Gratulationis Valdinensis Liber primus : Ad magnificentissimam Principem, & augustissimam Reginam, ELIZABETAM, Audleianis Ædibus regificè exceptam.

AVdij, & attonitus sic decantata stupebam
Aurea mortali Carmina digna Dea.
Occurrit pulchella mihi, generosáq; Virgo,
Flammeolísq; oculis, lacteoláq; manu.
Cætera quid memorẽ? gestit, saltatq;, tumetq; :
Et velut Ecstatico rapta furore canit.

¶ Camillæ Morellæ, Virginis Francæ, Epigramma.

QVa merui culpa, ne sit, *Regina*, videndi
Te quoque iamdudum copia facta mihi ?
Me miseram, cur non velocibus euehor alis ?
Cur mihi non genitor *Dædalus* alter adest ?
Cur non virgineos fræno virguncula currus
Pallados, & bijugo *Colchidos* angue feror ?
Denique, si vero sim nomine dicta *Camilla*,
Patria cur & me non vehit hasta volans ?
Semideam vt visam, qua (qui videt omnia Phæbus,)
Nil videt in terris doctius, aut melius.
O fortunatam me, virgo Regia, virgo
Tantula si tantæ dicar Herilis Heræ.

Quid sibinam vellet, veteres modulando Camenas,
Curué ita suspicerent lumina bina polum,

Leniter arridens quæro, dextrag; prehensa,
Quis te, inquam, Genius, pulchra puella regit?
Illa sed; ô quid agis? ne sis mihi quæso molestus:
Pergit & insolito psallere læta modo.

¶ Gualteri Haddoni Epigramma.

ESt Venus in vultu; docto tibi Pallas in ore
Præsidet; ad digitos clarus Apollo venit.
Mercurius linguam moderatur, Cynthia mores,
O Dea digna Deo, dignaque Iuno Ioue.

Agnosco, Generosa, inquam, laudesq; modosq;:
Hinc Princeps, illinc ipse poëta placet.
At tibi quis, Mea tu, venit in præcordia sensus?
Quæ te vel Furiæ, Pieridésue cient?
Hiccine virginibus mos est, per compita versus
Pangere, & harmonicis astra ferire sonis?
Siccine coniugibus vos insinuare soletis,
Et Valdinates conciliare viros?
Non memini me vnquam similem vidisse puellam:
Consimilis quondam fortè Sybilla fuit.
Num Diuinatrix aliqua es? num Delphica vates?
Dic age, dic casum, Delphica virgo, tuum.

Parce precor: mihi parce precor: non audio: non sum,
Non mea sum, noua me possidet ista chelis.
Pergendum est, inquit, Diuaq; simillima pergit,
Dixerit, hoc habitat Musica in ore, Venus.

¶ Abrahami Hartuelli Epigramma.

ESto, fortis erat, prudensque Camilla, Sybilla:
Nec minuit laudes illa, vel illa tuas.
Non iam tam sapiẽs Sappho, iam Claudia clauda est;
Mutæ iam Mutiæ, iamque Minerua minor.

Fabri-

Fabritiam iam febris habet; Cornelia corde;
Alma Ceres cerebro, Debora dente dolet.
Martia marcet, aretque Arete; Luceia luget;
Calliope calamum; Lesbia pone lyram.
Fuluia clara fuit; Eratoque erat; ELIZABETA est.
Est, illud saltem Dij prohibete, fuit.
Dicite, da longum dici, Deus, ELIZABETA est:
ELIZABETA tua est, relligioque tua est.
Da Deus, haud vnquam dici, fuit ELIZABETA,
ELIZABETA fuit, relligioque fuit.

Mira oculûm ſpecies: color & mirabilis: ô cur
Sic cantando ſalus, ſic ſaliendo canis?
Dic mihi, dic tandem, quorſum hæc repetitio? nota
Carmina ſunt, inquam; viuat & ipſa precor.
Ipſa poli, terræq́; hominum, diuûmq́; voluptas:
Sydera quamq́; ſtupent: littora quamq́; colunt.
Sunt mihi, ſunt Elegi veteresq́;, nouiq́;: canendo
Vincam ego, vel vincar, teq́;, tuoſq́; modos.

Vincere inexpertam non eſt operoſa puellam
Gloria: plura tamen ſunt memoranda mihi.
Quin Deus in labris latitans modò ſuggerit, inquit,
Quæ mihi cunq́; cano, quæ tibi cunq́; cano.
Carmina nota quidem: ſed notior Inclyta Princeps:
Et vetus eſt verſus; laus ſed & ipſa vetus.
Viuat Iõ: mihi viuat Iõ: ſibi viuat Eliſſa:
Viuat Eliſſa ſibi: viuat Eliſſa ſuis.
Forſan & hoc vetus eſt: neq́; enim componere verſus,
Sed recitare mihi noſter Apollo dedit.

¶ Petri Bizari Itali Epigramma.

ANglia iamdudum varijs agitata procellis
Ferme erat, vt medio quaſſa carina mari.

Te exoriente illi, tempestas destitit omnis,
Quæqúe obscura dies, facta serena sibi est.
Hinc meritò superûm regem noctésque diésque
Orat, vt incolumen te superesse velit.
Hinc etiam talique viro, regique precatur,
Associet, qui sit sensu, animoque pari.
Scilicet vt vestro auspicio sua gloria crescat;
Et dicat: sunt hæc aurea sæcla mihi.

¶ Græcum eiusdem Epigramma.

Πλεῖστα μὲν ἄλλ' ἔλαχεν καυχήματα νῆσος ἀγαυὴ
ἥδε, τάκ' ἀνθρώπων οὔτις ἅπαντα λέγοι.
Πῆγαι ἅμστεφέεσσι ἐνὶ νήσοισι βρεταννὶς
ἱμερτὶ νῆσος πρῶτα φέρειν ἐθέλει.
Ἀλλὰ τόγ' ἐκ πάντων αὐπὴν βαθύδοξον ἔθηκειν,
ὅττι σε τοιαύτην νῦν βασίλειαν ἔχε.
Αἰδοίην χαριέσσαν, εὔθρονον, εὐπατέρειαν.
εὖ μάλα πάσεσι πιερίδεσσι φίλην.
Ὡς μάκαρ εὐδαίμωνθ' ὅστις σέθεν ἀγλαόμητι
εὔχετ' ἀνὺρ μίτρην θνητὸς ὑπενδιάειν.

Ne precor impedias, Italorum encomia bella
Dum pango, nihil ijs comptius esse potest.

¶ Benedicti Varchij Epigramma.

DVm patrio in solio Dijs æqua virago locatur,
Londinum hos læto protulit ore sonos.
Fortunam puduit tandem, voluitque tot amplis
Naturæ, atque animi dotibus esse comes.
At Tamesis: longum viuat Regina per æuum,
Quæ superat magnas ELIZABETA Deas.

¶ Bernardini Thomitani Epigramma.

LEgerat attritas Britanno è littore conchas
Tityrus, vt canas luderet inter oues.

Inde

Inde cruor ſubitò eſt formoſa in vellera lapſus,
Enituit nullo lana cruore magis.
Hac te magna Pales, hac donat filia Nerei:
Iura dabis terris, æquor ELIZA reges.

¶ Cornelij Amalthei Epigramma.

QVæ ſeſe arbitrio Phrygij paſtoris in Ida
Auratum ob malum ſuppoſuere Deæ;
Nunc Reginam opibus, forma, & virtute decoram
Præſtare aſpiciunt lucida ab arce ſibi.
Ipſa tamen cælo magnorum gloria Diuum
Fulget, & inuicto numine reſtat honos.
At ſi connubio digno ſe Regia virgo.
Iungetur, vincet terra Britanna polum.

¶ Vulpiam Veronenſis Epigramma.

VIx certo ſignabat humum pede, venit ad aras,
Liliaque impoſuit, punica mala, roſas.
Ore pio, & puro venerata eſt pectore Diuos
Infans, cui requies nomina ſancta dedit.
Moxque datum ſapere, & fari præclara puellæ:
Labra rubent acinis; floribus ora nitent.
Lumen apex pomi fuluum mutatus in aurum
Incipit è pulchris fundere temporibus.
Et ne diſſideat nomen cum mente, Britannus
Hac duce, diuitijs ocia plenus aget.

HARVEIVS.

Siccine in immenſum veteres cumulare Camænas,
Nec cauſam facti reddere, Virgo placet?
Dic mihi, nuper an hæc didiciſti carmina ſodes?
An fuit hic Princeps? anne futura breui eſt?
An præclarum aliquid molitur? num tibi dudum?
Num Regina tuis gratificata fuit?
Ecquis in Auguſtum nomen conuicia torſit?
Confodit aut diris ecqua virago probrus?

Numquid opus præcone aliquo, num vindice censes,
Qui maledicta Elegis diluat illa bonis?
An Furijs agitata nouis, & percita Erynni,
Sacrum nescio quod fundis ab ore melos?
Sana, insana venis? temulenta, an sobria cantas?
Impóne, an compos mentis, & oris ades?
Haud nihil est: aliquid certè est; conamine tanto
Quòd repetas nostræ cuncta trophæa Deæ.

VIRGO.

¶ Caroli Vtenhouij, Patricij Gandauensis, Epigramma.

ELIZABETA, caput regni, columénque Britanni,
Te quibus in cœlum laudibus vsque feram?
Principe qua, nostro nihil est augustius æuo,
Quaque capax doctum nil magis orbis habet:
Quam Charis Ambrosiæ pauit lepidissima succis,
Quam fouit gremio docta Minerua suo.
Nectareis cui blanda fauis os suada rigauit,
Quæ simul & linguam finxit, & ingenium.
Quæque (quod est rarum) calles idiomata linguæ
Plurima, principibus non bene nota viris.
Argolicam, Latiam, Thuscamque, & Iberida præter,
Tam benè, quàm Galli, Gallica verba sonas.

HARVEIVS.

¶ Georgij Buchanani Scoti Epigramma.

MOrte carent superi: superis par cætera Diua est,
Saxonidas iusto quæ regit imperio.
At morte vt careat mortali stirpe creata,
Non dare Lysippus, Praxitelesue potest.
Musa potest fati domitrix, quæ pectora vatum
Enthea fatidico Musa furore quatit.
Te manet, Vtēhoui, decus hoc; decus hoc manet illā,
Vt celebris numeris fiat vterque tuis.

Solus

Solus enim vates es tali Heroide dignus,
Hæc sola ingenio est area digna tuo.

VIRGO.

¶ Georgij item Buchanani Epigramma
in effigiem Regina.

CVius imago Deæ, facies cui lucet in vna
Temperie mixta Iuno, Minerua, Venus?
Est Dea, quid dubitem? cui sic conspirat amicè
Mascula vis, hilaris gratia, celsus honos.
Aut Dea si non est, Diua est, quæ præsidet Anglis;
Ingenio, vultu, moribus æqua Deis.

HARVEIVS.

¶ *Eiusdem Epigramma in eiusdem Effigiem.*

QVæ manus artificis tria sic confudit, vt vno
Gratia, Maiestas, & decor ore micet?
Non pictoris opus fuit hoc, sed pectoris, vnde
Diuinæ in tabulam mentis imago fluit.

Ast quid ago cantata canens, & dicta reuoluens,
Pro paribus numeris sic referendo pares?
Nunquámne, ô Furibunda, istos pertexere cantus
Desistes? tua, num, Musica fine caret?
Quod genus hoc Genij? quis te nouus vrget Apollo?
An malè sana venis? an benè pota venis?
Certè ego, ni cesses, vel saltem dicito caussam,
Conducam, qui mox vociferentur, Amen.
Sin eq; tum cessare voles, tibi piscibus ora
Occludam, aut precibus te superabo meis.
Aut aliquid faciam, ne non tua cognita vena
Me totas noctes torqueat, atq; dies.
Haud patiar lepidam sic insanire puellam;
Si manus hæc quicquam, lingua vel ista potest.

VIRGO.

Ah rudis es: prope sunt peditumq;, equitumq; Caterua,
Principis aduentum quæ, præeundo, sonent.

Mox

Mox aderit, generoſorum ſtipata corona:
Intrabit q̃ iſtas Regia Diua fores.
Clamet Iö, iam clamet Iö puer, at q̃ puella:
Quiſq̃, & quæq̃ canat, ſexus vterq̃ canat.
Haud ita Luna inter præcellit ſigna minora,
Vt proceres inter Regia diua ſuos.
Admiranda Dea eſt: diuis magis omnibus vna
Grata ſuis, nobis, omnibus alma Dea eſt.
O nimiùm ſacras ædes, ſanctóſq̃ penates,
Qui tantam excipiant, contineantq̃ Deam.
Ipſi etiam poſtes mihi terq̃, quaterq̃ beati,
Et valuæ, & patrij, numina chara, Lares.
Ipſi etiam lapides tectorum, ipſæq̃ feneſtræ:
Quid non Diua beat? quid minùs ipſa beat?

HARVEIVS.

Ipſa aderit? mox ipſa aderit? bona ſydera faxint,
Faxit, qui fecit ſydera fauſta, Deus.
Haud ego ſum vates: ſed ero, vel Apolline, vates,
Inuito, & Muſis, quæ vetuêre, nouem.
Illi ego: Grata vẽnis: *illi cantabo,* Triumphe:
Illi ego: Iö Pæan; *terq̃ quaterq̃ canam.*
Ter, quater? id nihil eſt: decies, vicieſq́, iterum q́,
At q́ iterum, at q́ iterum lingua ſonabit, Io.
Grata venis, magè grata venis hoc lumine ſolis:
Mœnibus, ac pratis grata patrona venis.
Dij q́, hominéſq̃ ſtupent: agríq̃, arcéſq̃ ſalutant:
Oppida, fana, vrbes, omnia vbique colunt.
Hoc mihi carmen erit, nec non ego talia multa
Inueniam, ô vtinam perplacitura Deæ.

Atque eccam, Diua ipſa venit: χαῖρε *Inclyta Princeps,*
Te Deus, & cœlum ſeruet, & aſtra poli.
Ipſa valetudo non vnquam optatior ægris,
Non ſitienti vnquam gratior vnda fuit.

Lac,

Lac, vinum, mulſum, mel, nectar, nomina vana,
Tu mage grata illis, tu mage dulcis ades.
Haud tibi, credo, parem mulierem vidit Apollo,
Non ſimilis Daphne, non Venus alma fuit.
Angelicas videor ſpecies, formaſq; videre:
Aſpiciens oculos, ELIZABETA, tuos.
Iis habitant decus, atq; decor: Venus, atq; venuſtas,
O radij, ô vera lumina digna Dea.
Iis Charites reſident, Charitumq; magiſter Apollo,
Et quicquid veteres obſtupuêre libri.
O mihi tot, taleſq; oculi, quot in æthere lucent,
Vt ſatis ipſe tuos cernere Eliſſa queam.
Aſtronomus fieri cuperem, cuperem Opticus eſſe,
Inq; oculis vellem lumina habere tuis.
Non alibi Virtus habitat, non dia Sophia,
Sed neq; Maieſtas, ſed neq; celſus honos.
Quæq; priore æuo, terras Aſtræa reliquit,
In frontem redijt cælica Diua tuam.
Nil tam ſpectatu dignum, non ſplendidus Aether,
Non ſol, non rutili ſydera fulua poli.
Viderat Oſorij de Nobilitate *libellos,*
Excipiens ſq; Hermes pauca, bene, inquit, habet.
At tua nobilitas ipſa eſt mage mortua morte,
Oſori, ad hanc viuam ſi referatur, ait.
Teq; manu oſtentans, tibi numina dextra precatur,
Dixit &: En veræ Nobilitatis apex.
Viderat inde hominis de Principe *ſcripta, quid, inquit.*
His opus eſt? Princeps Principis ecce tui
En perfectam Ideam, *dextramq; inſ. exit ad illam,*
Quam mea nunc Ideam Muſa ſalutat ouans.
O renouet tales Ideas, qui fecit eaſdem,
Viua exempla eſſent: Zeuxe nec eſſet opus.
Maieſtas calami nulla eſt: ſunt Principis ora,
Sunt oculi Auguſti: frons generoſa placet.

Cuncta oculis hominum veneranda videntur, & ampla,
Gratia quæ talis, quæ comitatur honos.
Non Venerem, non Iunonem, non Palladamiror,
Non ſtupeo veſtrum turba nouena chorum.
At tua Maieſtas, viuo perfuſa decore,
Pæne animum exanimat, debilitatq; meum.
Non ego nunc primum faciem contemplor Eliſſæ,
Procubui ante pedes non ſemel ipſe tuos.
Et tamen en totus, totuſq; exhorreo, poſtquam
Aſpicio frontem, Diua ſerena, tuam.
Parce precor: non eſt metus hic ſubruſticus: ille,
Ille decor vultus membra tremore quatit.
Magnum: eſt: auguſtum eſt: diuinum eſt, atq; ſtupendum,
Fœmina cùm multas poſſidet vna Deas.
Da veniam, audaces non ſunt, Regina, poëtæ,
Fœmina cùm talis conſpicienda venit.
Ipſe equidem admiror vultumq;, manuſq;, pedeſq;,
A pedibuſq; optem dicier eſſe tuis.
Haud ego ſum tanti: fas ſit venerarier illos:
Et venerari illos, qui venerantur eos.
Hoc tamen, hoc liceat ſeruo dixiſſe fideli:
Quò te cunque refers; Grata Hera, grata Dea es.
Audleiana domus, Valdinea tota triumphat;
Illaq;, Grata mihi es: grata, *ait illa,* mihi es.
Non tam grata illi, non huic, gratiſſima quæq;;
Non lux, non meſſis, non bona cuncta ſoli.
Sæpè redi: perſæpe redi: mage grata redibis,
Luminibuſq; ſuis, luminibuſq; poli.
Summa: erit: vt multos annos grandæua propages:
Siſq; diu nobis, Grata Hera, Grata Dea.

¶ Audleianæ ædes loquuntur.

Bina Venus: Muſæq; decem: Chariteſq; quaternæ:
In tribus his, Princeps, *Muſa, Charis, Venus es.*

Grata

Grata Venus: ter grata Charis: gratiſsima Muſa,
Et Domino, & nobis, ELIZABETA, *venis.*
Non hominem vox illa ſonat, ſonat illa Dearum
Conſpicuumq́ chorum, perpetuumq́ forum.

¶ Valdinum loquitur.

Formam pulchra Venus, ſuada os, corpuſq́ decorum,
Vernæ Horæ: Eloquium Calliopeq́ dedit.
Diuinumq́ Themis mentem, articuloſq́ Minerua,
Addita & es triplici Gratia quarta choro.
Si taceant homines, lapides, & ſaxa loquentur,
Nil oculis potuit gratius eſſe tuis.

¶ Poëta. Echo.

Saxa loqui cæpêre: aliquid nubi ſuggere Clio,
Echo. Si non eſt aliud, ſit tibi carmen, Iō.

¶ *Epigramma, in Effigiem Illuſtriſsimæ Reginæ.*

Feci Cantabrigiæ, Menſe Nouembri. 1577. ijs Ferijs, quas ego iure ſum optimo veneratus; & quibus fæliciſsima illa, optatiſsimaque *Regiæ Inaugurationis* Auſpicia, nouiſsimè erant, ſingulari totius Angliæ gratulatione, atque ſummo cunctorum generum, ætatum, ordinum applauſu, vel Inuidia quidem ipſa comprobante, celebrata.

Felices Oculi, quibus iſtos cernere ocellos
Contigit: atq́ manus, queis tetigiſſe manus.
O quàm fælices, qui conſpiciuntur, Ocelli?
Quam manus, vnde manus tantum habuere decus?
Si qui oculi ſuperis, tales credo eſſe, beatis:
Si manus, & tales ſuſpicor eſſe manus.
Si qua fuit cuiquam Maieſtas Heroinæ,
His oculis, manibus, pectore, mente ſedet.
Sis fælix, faciaſq́ tuos, Regina beatos:
Te ſine erunt miſeri, quos tua ſceptra beant.
Anglia tota canit: Valeas mea ſemper Eliſſa:
Semper ego, ſemper regnet Eliſſa, precor.
Illa mihi ex multis Diua eſt conflata Deabus:
Cynthia, Iuno, Venus, Calliopea, Charis.

Palladacum Phœbo Aönides comitantur, eaq́z
Effecit Phœbus Pallada, & Aonidem.
Mira loquor, sed vera loquor: doctissima vincit
Præsignes literis, conspicuosq́z viros.
Mira loquor, sed vera loquor: sanctissima vincit
Et pietate pios, & bonitate bonos.
Mira loquor, sed vera loquor: quæ fœmina primò,
Nunc Dea facta, omnes vincit honore Deas.
Cedite ei sancti, sanctæ, Diuiq́z, Deæq́z:
Commeruit ferias Diuaq́z nostra suas.
Campanæ resonant, pulsantur tympana, templa
Applaudunt, Aether ridet, Apollo salit.
Delubra exsultant, sublimibus alta columnis:
Seq́z putant tanto saxa beata die.
Oppida concurrunt: vrbes, ac rura Camænas,
Dulcia metra, Odas, Cantica mille canunt.
Incendunt thura, atq́z focos, igneisq́z celèbres
Inq́z foro, inq́z alijs exhibuêre locis.
Nil nisi, Iö Pæan, *lapides, & tecta loquuntur:*
Quis neget has Ferias imposuisse Deum?
Non tu quisquis ades templo, venerande sacerdos,
Has Ferias, has sed fecerat ipse Deus.
Quid reliquum est? nihil est reliquum: Dea facta, Deorum
Afficitur cultu: Plaudite; facta Dea est.
Plaudite adhuc magis, atq́z magis: non mortua Diua est:
Vt reliquæ Diuæ: viua sed illa Dea est.
Viua Dea est, & viua diu fuit, atq́z futura est,
Ipsa etiam Vita viuida, credo, magis.
Sis fœlix, faciasq́z tuos, Dea viua, beatos:
Te sine erunt miseri, quos tua vita beat.
O tibi perpetuum dispensèt Iuppiter ævum:
Angeli erunt Angli: nostráq́z terra polus.

Hexa-

¶ *Hexastichon in eiusdem effigiem.*

Feci Valdini, pridie Calendas Sextiles, Regia adhuc Maiestate ad Audleianas Ædes commorante: & quidem feci rogatu ornatissimi viri, & prudentissimi hominis, M. Saccofordi, eidem a Supplicum libellis: qui absolutissimam, elegantissimamque totius Angliæ Descriptionem, perartificiosè expressam, nactus, & eandem Augustissimæ Principi dicare volens, illius etiam egregiam quandam Effigiem, accuratissimè depictam, initio præfigendam curauit: in eamque Hexastichon aliquod meum iam tum postulanti, hanc illi copiam suppeditaui, delectum sibimetipsi reliqui.

¶ Hexastichon. 1.

¶ Ad Spectatorem.

1.

VEræne Effigiem vis Principis? En tibi nostram:
Regia quam decorat Pietas: Heroica Virtus:
Inclyta Pax: Augusta Fides: Clementia nullo
Signando Epitheto: certè Diademate digna.
O talis vigeat Princeps, regnetque perennis:
Posteritasque omnis mecum canat: En tibi nostram.

2.

Vis perfectam Ideam? vis veræ Principis ora?
Vis Maiestatis, Fidei, Virtutis, Honoris
Regale exemplar, viuosque videre colores?
Ecce tibi hanc Ideam: sunt veræ Principis ora;
Sunt omnes hic Virtutes: Pax ipsa loquatur;
Vera, inquit, Princeps: Regnum ipsum; ô optima Princeps.

3.

Ora Augusta vide, viuos imitantia vultus:
Dic mihi: nonne illis Virtus, Reuerentia, Numen,
Maiestas, Astræa, Themis, decora omnia cœli,
Terrarúmque habitant? ecquis putet esse beatos
Cælicolas: nec eam summè putet esse beatam,
In qua hominum, atque Deûm tanta ornamenta refulgent?

4.

Viderat Effigiem Iuno: Iuno altera, dixit;
Viderat alma Venus: Venus altera, dixit & illa.
Viderat & Pallas: dixit q̃, En altera Pallas.
Viderat at q̃ Paris: pomum accipe, dixit & ille:
Viderat at q̃ Hermes: laudat a q̃ Numina laudans,
Omnibus, inquit, ab his limata videtur Eliſſa.

5.

Aetheream poſtquam lucem ſpectáſſet Eliſſa:
Orta inter ſuperos lis eſt: an cederet illi,
An Veneri κεχὸς *Veneris: non gratia maior,*
Non Venus in Venere eſt: inquit Mauortius Heros.
Iuppiter arridens, Experto credere fas eſt
Dixit, & huic datus eſt diuinus κεχὸς *Eliſſæ.*

6.

Fallor? an hæc Venus eſt, aut lumina κεχὸς
Decepit; nunc agnoſco: Venus altera Eliſſa eſt.
Siſte Hoſpes: κεχὸν q̃ *vide, ſpectáta q̃ noſtra.*
Vnus habet Suadas, Veneres, Charitéſq̃, Aretáſq̃,
Deliciáſq̃ omnes; vix credibiléſq̃ Lepores,
Mirificaſq́ artes, & quicquid amabile, κεχὸς.

7. Dialogus.

Dic Pietas: pia quæ Regina videtur? Eliſſa.
Dic Virtus: bona quæ Regina videtur? Eliſſa.
Dicite Pierides: quæ docta videtur? Eliſſa.
Quam vos, Mortales? primam mortalium Eliſſam.
Quam vos Cælicolæ? Diuarum maximam Eliſſam.

8. Ad Britanniam.

Hæccine Eliſſa tua eſt, Britannia? ſiccine Fatum,
Inq̃ tuam ſtellæ, ac ſuperi coiêre ſalutem?
Salue Terrarum longè auguſtiſſima Terra:
Sis felix præter reliquas: tibi copia vini,
Et frugum, & lactis, melliſq́, boúmq̃, ouiúmq̃
Adſit, & æternùm Pax, Pax ſuauiſſima regnet.

¶ Epilogus,

¶ Epilogus, de Regiæ Manus oſculatione; deq; eo, quòd vultum Itali habere, ab excellentiſsima Principe diceretur.

¶ Pars prima, de Oſculo.

TAndem conclaui egreditur, comitata duobus
Nobilibus (fuit hic Dominus; Suſſexius ille)
Ore, habitu, ſplendore omni ter maxima Princeps,
Princeps *orta Polo, delapſaq; cælitùs ad nos.*
Illa vbi me ſolum nitidis ſpectâſſet ocellis
Proiectum ante pedes: Quiſnam eſt, *ait?* hiccine quæſo
Ille eſt, Leiceſtri, de quo modò? ſcilicet ille eſt.
Protinus & dextram, (ſed erat mage lactea lacte,
Et candore niues, & Lilia vicerat alba)
Porrigit: atq; Manum tibi non, Harueie, negabo
Inquit; eaq; data, mihi porrigit oſcula, quouis
Mellea melle magis, quouis mage mulſea mulſo.
Exſulto memorans; non tanti baſia Martis;
Suauia non Paridis; non oſcula mille Tonantis.
Plus latet in dextra mellis, plus nectaris illa,
Quàm fuit in labris Danaæ, Veneriſue, Helenaúe.
O mea fortunata nimis (ſed nomina deſunt)
O mellita dehinc, & nectare plena labella.
Quèis Cutis Angelicæ, quèis ſic data copia dextræ,
Vt minimum dicam, Ambroſiæ; ſed dicere plura
Conuenit: Auroræ roſeos, vel Iudice Phœbo,
Vicerunt digiti digitos; nec Palladis almi
Articuli, nec par argentea palma Dianæ.
Fœlices cytharas, & terq; quaterq; beata
Tympana, quæ digitis pulſantur talibus: illis
Ipſa Minerua habitat, regit illos ipſus Apollo.
Me quoq; neſcio quis nunc poſſidet intus Apollo,
Neſcio quæ ſtimulat correpta furore Minerua,
Ex quo illos tetigi digitos, ex quo oſcula ſenſi
Illa labris: calamus ſubitò noua carmina fundit

Sponte

Sponte ſua: non mente aliqua, minimóue labore
Eſt opus: ipſa mihi noua dictat carmina penna,
Penna in Eliſſæas nunquam ſat prodiga laudes.
Sim lapis, in lapidem tua me niſi verterit illa
Inclyta Maieſtas: ſenſus me deſerat omnis,
Expertem niſi me ſenſus tua fecerit illa
Inclyta Maieſtas: iuuat ô meminiſſe, iuuabit
Dicere ſæpè, tuis radijs vt lumina noſtra
Victa, nitorem omnem (inſoliti vis illa nitoris)
Perdiderint, certè attonitum, ſtupidumq́ poetam
Aſpexêre ſuum Muſæ: non Enthea Virtus,
Non Furor emicuit. non vena poetica, non vis
Vlla animi: pectus tantæ reuerentia diuæ,
Aethereuſq́ decor, fulgorq́ expectorat ingens.
Haud apud, haud me ſum, neq́ enim ſi quando Stuporis
Filius eſt quiſquam viſus, non ipſe Stuporis
Iam tum vtero poteram cretuſq́, ſatuſq́ videri.
Mirus erat vultus ſplendor: frons vndiq́ pulchra
Conſtipata choris Venerum, Charitumq́ decoris.
Deliciarum ingens numerus, cunctiq́ Lepores,
Antiqui, atq́ noui, noſtri, externiq́ Lepores,
Hinc, atq́ hinc dubio tinxerunt ora colore.
Stellulæ erant oculi: Deus, ô Deus optime, quanta
Gratia linguæ inerat? quantis vox illa fluebat
Lautitijs? quid tam fabricauit amabile? quid tam
Auguſtum, nutu totum qui condidit orbem?
Fallor ego, aut multi Diui, Diuæq́ diſertæ,
Ore illo latitant, linguaq́ loquuntur in illa.
O ibi quot riui dulcedinis? ô ibi quantus
Maieſtatis Honos? vidi, vidi ipſe loquentem
Cum Snaggo: (ſermo longam durauit in horam,
Sed tamen illa breuis nimium mihi viſa, quaſiq́
Punctum aliquod) miratus eram miracula tanta:
Verba, manus, oculi, frons, omnia plena decore

Angelico,

Angelico; risus quiddam cæleste ferebat;
In nutu decus eminuit: spectacula nunquam
Talia viderunt oculi; bona Numina faxint,
Sæpiùs vt videant, fortunentur q; videndo.
Credo equidem, è toto si Princeps vnica mundo,
Optima quæ Mundi, quæ maxima totius esset,
Quæq; alias præter, solio, diademate, sceptro
Digna videretur, (testor cælum q́, Deum q́,
Quàm loquar ex animo; neq; enim tibi verba daturus
Aduenio, neq; me parasitum spiritus esse
Liberior voluit) te, te fore, maxima Princeps,
Non aliam, ex, quæcunq; vigent, mulieribus vllam.
Pectore sic vno Regalia cuncta refulgent,
Et simul, atq; semel coierunt omnia summa.
Pictor abi, & pende infœlix, cruce dignus aduncа:
Solam ego Naturam Pictoris dignor honore:
Illius hæc manus, hæc tabula est: tu corrige Xeuxe:
Perdis opem, atq; operam: pictura vmbratilis errat:
Nullus in hac næuus, maculæ non vllius instar
Quicquam habet; ô viuæ perfecta Heroidis ora.
Iamq; mihi Snaggus, cunctis astantibus vnus,
Esse videbatur fœlicior: illum ego solum
Intueor, tacitéq; hominis bona sydera laudo.
Tandem etiam ad Comitem conuersus, dicere cæpi,
En Snaggus: sunt hîc etiam sua præmia laudi:
Cùm subitò tua Maiestas, conclaue petebat,
Internis, nostrisq; oculis quasi solis Eclypsin
Obiecit, noctemq; atram, tenebrasq; reduxit.
Iratus, solem accuso, tempusq; diei,
Prandiaq; exsecror, conuiuiaq; omnia damno,
Quæ tam conspicua priuarent lumina luce.
Sed frustra stomachatus eram; lux proxima lucem
Pollicita est similem: spes ampla in pixide: versus
Ipse tuos, & χαῖρε tuum iam, iamq; dicabo

Principi, ait Dominus: forsan tibi χαῖρε vicissim
Dicet, & ambrosijs te designabit ocellus.
Exspecto Auroram: noctes mihi mille fuêre
Vnica nox: Snaggi in somnis occursat imago:
Multæ Ideæ decoris: phantasmata multa decôris;
Et variæ formarum umbræ, speciesq; stupendæ
Obuolitant animo: vigilans obdormio, stertens
Euigilo; totus totúsq; Insomnia factus;
Mirandas rerum facies, ostentáq; rara
Mente agito, in corpus multorum pectora vatum
Migrarunt, videor Calchas, videorq; Sybilla,
Tyresias, Phœbusq; nouus, centumq; Prophetæ.
Somno me Stellam *visurum protinus, omni*
Luce refulgentem, quæ cùm vetus esset, & esse
Prisca videretur, noua semper, miraq; cunctis
Credatur tamen: exsuperans splendore Trionas,
Et Cynosuro suis, & lacteus orbis in orbe.
O stulti Astronomi, noua cur vos stellula torquet;
Cur ita discruciat? Stellam mox ipse videbo
Quæ pariter vetus est, pariter noua, quæ mage vestrâ
Est noua: suspicienda magis: cui Cassiopæa
Debeat, atq; velit, cui Virgo Virgini, & astrum
Cedere (sic superis visum est diuinitùs) astro.
Hanc ego si digito attigero, pretiosior omni
Gemma erit extemplo digitus; si forsan ocello
Videro, ocellus erit radiantis syderis instar.
Oscula si figam, (namq; oscula figere stellis
Iuppiter ipse solebat, erant & sydera amores
Illius, aut non est sydus cæleste Calysto)
Hærebunt nostris cælestia numina labris:
Et quiddam æthereci circundabit ora ruboris.
Hæc, & plura animo, lingua hæc, & plura vaganti
In somno occurrunt: precor vt mihi talia visa
Quamprimùm eueniant: surgoq; exspectoq; lucem:

Necto

Nectо preces precibus: votis exaggero vota:
Atq; vtinam, atq; vtinam crebris sermonibus addo.
Apparet mihi Spes, *vultu exoptata sereno,*
Ore, oculis, frontis specie peramabilis omni;
(Vel Dea nulla polo est; Dea, vel fuit illa benigna)
Subtristemq; videns, subridentemq; vicissim,
Alloquitur paucis: Domini fac iussa capessas,
Regalemq; Aulam, Audleianaq; tecta remise:
Ne dubita, Stellam veteremq;, nouamq; videbis:
Macte animo, forsan radiorum lumine vultum
Ipsa tuum recreabit, & hæc tibi stella secundas
Efficiet stellas reliquas, & sydere ab vno
Sydera cuncta tibi mage fausta, & dextera fient.
I pede fœlici: Fatorum numine *summa,*
Ima reguntur; & hæc poterit, ridentibus illis,
Fortunata Dies, Auroráq; læta videri
Atq; tibi, atq; tuis: Domini modo limen adito:
Ille tibi stellam, te stellæ ostendet, erisq;
Votorum compos (faueat bona stella) tuorum.
Non cuiquam Dominus melior, seruire paratus
Esto dehinc, sola hac ratione videbere liber.
Dixit: ego volucri cursu, seu Pegasus, Aulam
Regalem peto continuò, Dominumq; saluto.
Ille vbi me vidit, verbis affatus amicis,
Siste, Harueie, inquit, iam, iamq; videbis Elissam,
Teq; tuosq; elegos iam, iamq; videbit Elissa.
Parua mora est, venit è conclaui Regia virgo,
(Stella ea credo fuit, stellis radiantior ipsis)
Prostratumq; videt, visumq; excepit amœna,
Ambrosiáq; manu: mihi oscula dulcia præbet,
Oscula, cœlo ipso mage cœlica, panéq; Diuis
Diua magis, labris impressa fidelibus, & quæ
Pluris ea vna putent, Pelopis quàm mille talenta.
Exclamare iuuat, fatúmq;, omnésq; Planetas

Verſibus inſignire meis, & ſomnia rebus
Addere diuinis; ſpemq; inter Numina cœli
Ponere, Herumq; ſuper Magnates tollere priſcos,
O, ſtellam quibus Elogijs veteremq;, nouamq;
Quo ſermone feram? qua Muſa, & Apolline laudes
Cantabo tantas? radios quo carmine pandam?
Verus erat ſomnus, phantaſmata vera fuerunt,
Nocturnáſq; vmbras ſuperabat nobile Corpus.
Tu mihi ſtella micans, tu ſydus amabile, & inſtar
Mercurij, Veneris, Lunæ, Martiſq;, Iouiſq;.
Snaggus ego alter eram; diuinaq; virgula, viſa eſt
Regia dextra mihi; videor Ioue natus amico,
Propitia Iunone ortus; Genioſq́;, Lareſq́;,
Fortunamq́; meam laudo, diuoſq́; Penates;
Labrág; diuinis longè præpono labellis.
At poſtquam fulgore nouo illuſtraſſet ocellos
Stella meos: valdéq; mihi, multumq́; placere
Cæpiſſem: vix credibile eſt, quo verba ſtupore
Regia concuterent animum: quo numine pectus
Corriperent: pluris, Quiſnam eſt? *fuit,* Hiccine quæſo
Ille eſt? &, Dextram tibi non, Harueie, negabo;
Quàm Phœbi, Muſæq; nouem, totidemq; Minervæ.
Geſtio lætitia, & noua gaudia corde voluto,
Qualia nulla dies, nullæ ſenſere Calendæ.

¶ Pars Epilogi ſecunda: De vultu Itali.

Protinus & Dominum alloqueris (meminiſſe iuuabit,
Dum potero meminiſſe aliquid) Dic, Hunccine in oras
Italicas, Francaſque tibi tranſmittere certum eſt?
Certum, inquit Dominus; benè factũ, Iam iam habet ille
Vultum Itali, faciemque hominis: vix eſſe Britannum
Crediderim, potiuſque hoſpes quidam eſſe videtur.
Hæc vbi dicta, ſtatim generoſus membra Caballus
Excepit tua: per populum, per plurima ferris
Ora virũm: clamor turres penetrauit Olympi:

Viue

Viue diu Regina: diu Salueque, Valeque,
Quiſq; refert: quaq; exclamat, tecta ipſa loquuntur.
Maieſtati vna Valdinum voce precatur
Proſpera cuncta tuæ: domus Audleiana ſecundos
Et ventos, auraſq; optat, ſoleſq;, viaſq;:
Totaq; conſpirans Eſſexia, viuat Eliſſa,
Viuat Eliſſa, *canit*, bona ſemper viuat Eliſſa.
Poſt abitum (ne dicam vnquam, Deus optime, quæſo,
Poſt obitum) poſt, inquam, abitum, poſtrema voluto
Pectore verba meo: Generoſum Regia verba
Efficiunt: Equitem auratum: Dominumq; potentem:
Heroëmq; amplum, Comitemq;, Ducemq;, alioſq;
Magnates: multum eſt regali ponderis ore:
Forſitan ex Anglo (dicenti credere fas eſt)
Fiam Italus: ſed non fiam, iam nunc mihi vultus
Eſt Itali, facieſque hominis: vix eſſe Britannus
Britannæ videor: faxint bona ſydera cæli,
Eſſe Italis Italus videar: ſecurior eſſe
Haud dubitem: non dum didici præcepta ſalutis:
Cùm fueris Romæ, Romano viuito more,
Sæpius audiui: ſed mens mea neſcia moris
Italici: facilis locus eſt erroribus: ô me
Peccantem excuſet vultus: facieſq; putetur
Eſſe Itali, ſermoq; hominis videatur Hetruſci.
Gratiam ago formæ: coma perplacet: & color, & frons:
Vox Anglum ſonat, haud Italum: non ſplendor in illa
Italicus: non magnificus ſonus ille, meloſq;
Neſcio, quod generoſum, & paucis gentibus aptum.
Multò etiam Italicum minus eſt mihi mentis acumen,
Multò etiam minus eſt capitis, cerebriq; medulla,
Multò etiam minus illa ſtyli quaſi propria vena,
Multò etiam ingenij minus illa Eſſentia quinta,
Nec mores Itali, nec gratia, nec Maieſtas,
Nec Veneres, nec lautitiæ, nec deliciarum

Copia tanta ſubeſt, nec copia tanta leporum:
Solus adeſt vultus: nec ineſt ea gratia vultu,
Quam fingunt Itali: nec ſic moderarier illum,
Nec verſare queo: nec fronti tanta venuſtas,
Nec decor ille oculis, ſed nec decor ille labellis:
Nec ſic ora manu docuit componere Cypris.
Fallor? an ô potius voluiſti dicere, Princeps
Inclyta, laruam Itali gerit, aſcitumq; colorem,
Non vultum, faciemq; hominis, non ora venuſta?
Id̀ mage credibile eſt: ſed nolo iniurius eſſe
Ipſe mihi, libet in meliorem flectere partem
Tanta verba Deæ: ſunt forſitan omnia in illis.
Fortunata ſatis, iuuat & ſperare deinceps
Ampla magis: cur non reputem, qua Larua colore
Italico tincta eſt, aliquos quoq; poſſe colores
Induere Italicos? cur non in Principis ore
Arcani rear eſſe aliquid? cur non mihi poſthac
Perplaceam magis, at q; magis? iucunda fuêre
Cætera, fauſta etiam, libet exſpectare beata
Omnia: forſan & hoc magnum latet omine numen.
Sit facies, vultuſq; Itali, ſit forma, colorq;,
Ingenij q; acies, & gratia tanta leporum,
Eloquij q; Venus, reliquæq; ex ordine laudes,
Siue animi fuerint, ſeu corporis: omnia votis
Optarim bona: (ſunt Italis bona plurima:) faxit
Omnipotens, hunc in ſenſum tua verba reclinent.
Quæ mala ſunt, (cunctis ſunt & mala gentibus) illa,
Illa alij referant: ſatius, prauum eſſe Britannum,
Quàm vitioſum Italum: non ars, non mille venena,
Non animus, non illi habituſq; ſitiſq; nocendi,
Non furor, & furia deſunt: non vlla malorum
Auſorum genera, aut ſpecies: per ſaxa, per ignes,
Tartareas per aquas ibit, ſpes forte lucelli
Si vocet: Icarias iamq; induet impiger alas,

Et

Et Phaëtontis equos, & plaustra immania solus
Arte reget, cælóq; humeros supponet, & Atlas
Iam iam, erit, Herculeos exant labit q; labores,
Mercuriÿq; astus varios, & Vlyssea sensa,
Argolicosq; dolos, & Punica fœdera prompto
Ingenio referet, mores imitabitur omne;
Ianus erit bifrons, Proteus, Vertumnus, Apollo,
Hermaphroditus, Aper, Leo, Vulpes, Vrsus, & Agnus,
Et modò Coruus erit, modo simplicis ora Columbæ,
Finget, & in omnes formas, speciesq; migrabit,
Quadrupedum, bipedumq;, nec vllos respuet ausus.
Diues, Mercator, Stultus, Nuptusq; & Amator,
Et quodcunq; volet, Dominus, quodcunq; Tyrannus
Imperet, aut Furÿs stimulata ferocibus, audax
Suadeat ambitio, vel amor sceleratus habendi,
Extemplò factus, quiduis patietur, aget q;
Absq; hominum, absq; Deûm formidine: duummodo compos
Optati, sibi proposito potiatur honore.
Italus esuriens, in cælum, iusseris, ibit,
At q; idem sitiens imum penetrabit auernum.
In vultu manus: inq; manu frons, lumina, vultus:
Ipsius arbitrio corpus, membra omnia, pectus,
Pectoris arcani motus, sensusq; reguntur:
Autolycum nihil esse putes, nihil esse, Sinonem,
Tergeminum quoq; Geryonem, Harpyasq; rapaces,
Centimanumq; Gygem (notus satis annulus eius,)
Semiboues q; viros, & Gorgonas, anguiferentes,
Tartareumq; canem, serpentigerosq; Gygantas,
Sphingaque post illi pones, licet ipsa tricorpor.
Non ita flexibilem fecit Natura poëtam
Diua, tuum: non sic Italum voluêre poetam
Esse tuum superi: linguæ, morumq; venustas
Semper erant mihi cordi, illam si quando videbor.
Forte aliquam nactus, satis est: clementia cæli

Italici faueat: Francæ bona gratia gentis
In dictis factisq; affulgeat, omnia verbis
Sint bona Eliſſæus: ſatis Italus eſſe videbor,
Et Francus ſatis, in reliquis non Italus eſſe
Valde optem, niſi quòd veteres Ciceronis amores,
Et Romæ, & gentis celeberrima fama togatæ
Fixa animo, Italicas faciunt venerarier oras.
Verè etiam vt dicam (neq; enim non dicere fas eſt,
Quòd verè dixiſſe queam, licèt ante tacendum
Eſſe videretur) paulo magis ipſe fauere
Eximio Italiæ decori, magè nuper amare
Cœpi homines, poſtquam gemini Smithalia noſtra
Haud vnquam mihi viſi Itali (data carmina ſerò
Typographo fuerant) peramanti voce probaſſent,
Meq; Italorum inter retuliſſent alba ſuorum.
Sic fatum eſt: nec tu caſu mihi, ſplendida Princeps,
Vultum Itali, faciemq; hominis tribuiſſe videris:
Plura ipſi tribuêre Itali, latet abdita cauſa,
Cauſa tamen non vana ſubeſt: Italis ego pæne
Eſſe Italus videor: nomen nec tu mihi prima
Impoſuiſti Itali: gemini impoſuere poëtæ
Iampridem Italici: quid mirer, neſcio: credo
Mirandum tamen eſt aliquid: dic Iuppiter alte,
Quidnam eſt? quid tandem eſt? Harueius Anglus haberi
Non Italus meruit: ſunt illi iniuria fata,
Quòd perhiberi alio voluerunt nomine: mica
Vix vna Italici ſalis eſt, merus Italus, aiunt:
Atra coma eſt: color & fortaſſe ſubitalus: oris
Maieſtas, Venerisq; abſunt; tamen Italus eſſe
Reginæ videor: quid multis? me quoque dicunt
Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis.
Ac mihi neſcio quis de cælo ſpiritus alto
Clamitat aſſiduè, (neq; enim memorare pigebit
Antiquum carmen, quod dictat Cynthius, aurem

Vellens:

Vellens: ô ſemper liceat meminiſſe monentis)
Plus alijs de te, quàm tu tibi credere noli.
Legi ego Petrarcham: placet & Boccaccius: & me
Syluius, & Dantes, & Caſtilionis amena
Delicia, miro multùm affecêre lepore.
Agnoſcit nihil iſtorum mea Muſa, nec vllam
Laureolam ingenij, nec linguæ vendicat vllam.
Herõa ſq; illos cæli inter ſydera ponens,
Serpere humi ſeſe, centrumq; habitare fatetur.
Certè Italos veneror: gens eſt lautiſſima: & altum
Quiſq; ſapit: plæroſq; omnes Hermetis alumnos
Eſſe putes: natat ſummis Facundia labris:
Mens Labyrinthi inſtar, varijs obſtructa latebris:
Nemo aliqua non laude, ingentem captat honorem.
Magnificum: & generoſum animal, quodq; omnia ſeſe
Inferiora putat, Reges, diademata, ſceptra,
Quicquid & immenſo late dominatur in orbe.
Aſt ego humi reptans, abiectaq; ſenſa volutans,
Nil celſum meditor: vix, vix mediocria mente
Concipio: grandes auſus, ingentia queq;
Linquo alijs: voluit forſan me Rhetora, vatem,
Philoſophum eſſe Deus, nihil altum in pectora mittit;
Non feruorem illum, non ignes ſuſcitat acres,
Noc calidos motus: Italorum propria laus eſt,
Muſca vt quæq;, Aulas, & fulua palatia Regum
Sectetur, ſeq; auratis ingurgitet eſcis,
Et bibat, & comedat Regalia gemmata, rebus
Omnibus interſit, non puncto temporis vllo,
Non excluſa loco; nobis haud eſſe beatis
Sic licet: ô cur nos ſpernis Fortuna miſellos?
Sed fruſtra queror: Audentes Fortuna beare
Aſſolet: *& primum es votis* Audacia *noſtris*
Imploranda, tuis Diuarum maxima ſeruis.
Mille boues mactare decet, Diuamq; ſacratis

Conciliare epulis, arisq; imponere honorem.
Eia Angli, facite vt cæptis Audacia vestris
Aspiret: nullum est mage præsens numen: in illa
Splendoris prora, & puppis versatur Hetrusci.
Vana loquor, sed vera loquor: non vlla Dearum
Huic similis, postquam terras Astræa reliquit,
Et pudor in pueris cæpit laudarier vnis.
Macte animis; Fortuna rotam iam, iamq; volucrem
Vertet, & ex Anglis magni fiemus Hetrusci.
Audendum est quidnis, fieri si nobilis optes.
Ecce tuum, Regina, Italum: iam, iam mihi sanguis
Nescio quis, certè insolitus præcordia circa
Æstuat, aut forsan subitis mea pectora flammis
Iuppiter accendit: vis aut occulta tuorum
Verborum, noua sensa operatur mente, animosq;
Inserit ipsa nouos: Italorum hæc dogmata, frontem
Perfricuisse, metum deponere, singula quæq;
Audere intrepidè; sursum spectare; minuta
Temnere; purpureis sese exæquare Monarchis:
Talia non rudibus documenta audita Britannis:
Forsitan & Genius præcepta incognita dictat,
Ne frustra iniectum nomen videatur Hetrusci.
Vt verò cunq; est: si quis velit Italus esse,
Omnia summa agitare animo debebit, & ima.
Vnica pars Italus: solum hoc mihi sumo, in eoq;
Glorior, egregiæ quod Principis ore, duorum
Atq; Italum eloquijs, tantum mihi nomen adeptus,
Sola ea consectèr, quæ conspirantia nostris
Moribus inuenio, nec inanes persequar artes.
Ast tu, Diua potens; cui mentem Iuppiter altam
Cælitùs indulsit, quæq; omnia numine verba
Concipis Æthereo, ne casu forte putetur,
Non tecta ratione illud mihi nomen iustum,
Vtq; tuus maiore fide nitatur Apollo,

Nec

Nec temere effusum oráclum videatur Elissæ,
Si vacat, atq́; placet, vel quandocunq́; placebit,
(Haud oculis cupiam Regalibus esse molestus,
Haud ipsi cupiunt) geminorum carmina vatum,
Ore nimis largo præconia nostra canentûm,
At q́; Italorum inter numerantûm castra suorum,
Aspectu dignare tuo, dignare fauere,
Sic te semper amet, qui semper amauit, Olympus,
Iamq́; vale placido tibi dicat Iuppiter ore,
Reginæq́; suæ, (nam tu Iouis vnica Princeps)
Commendet studiosè Italum, commendet alumnum
Aurea Diuatum: votorum hæc summa meorum.

¶ Italorum duorum Xena Encomiastica,

à peregrino quodam, ante sex menses Typographo tradita, vt typis peruulgata ederẽtur.

Pandolphus Strozza, patricius Ferrariensis, nupperimè in taberna mea Londinensi forte fortuna conspicatus, & postea perfestinanter, tumultuarijs horis, percurrens (vt fit) Gabrielis Valdinatis, Poëtæ Britannici Lachrymas, sequens Eulogiolum, communis iure humanitatis (homine ne de vultu alioqui noto, neque noscendo fortasse) apponendum curaui, publicandumque: Contubernalibus meis quibusdam (ne mentiar) Xenium vnâ approbantibus, laudantibúsque.

HArueium quendam Britonem lachrymasse ferebant,
Funus item Britonis: laudabant hi mihi vatem,
Laudant illi altrum; resonabant hospita tecta
Laudantum Eulogijs: sed Cantica prima reuoluens
In thalamo mecum, tanto clamore coactus,
Hæcne, inquam, Britonis sunt Cantica, deq́; Britanno
Ista canit? toto diuisos orbe Britannos,
Talibus an quisquam Romanus deputet esse
Ingenijs? vena hæc, Gabriel tua digna cerêbro
Italico: puto me Petrarcham audire canentem,
Cum cantas: ita in ore tuo lingua ipsius ipsa,

Vena eadem, atq; Venus recinit: tum pectore acetum
Vnum, & idem spirat: Britonum gens integra, Vatem
Coniuestite hedera, & pileo circundate laurum.
Plaude tibi tanto fœcunda Britannia Vate,
Quo præcone, nequit Smitheia fama perire;
Quo reboante, tuum nomen pultabit Olympum,
Heröesq; tui innotescent omnibus horis.
Paucos si pareres tantos, Roma ipsa labaret
Paulatim, aut verò Britonum ditissima tellus,
Altera Roma foret; simul altræ Thebæ, & Athenæ.
Musa Ricardetti fratrizat sat benè: plures
Inuideo Harueios egomet tibi: sufficit vnus:
Plus satis hic vnus nobis, quibus Itala cordi
Gloria, Zelotypumq; caput de laude aliena.
Nunc tamen istum ipsum Xeniali carmine faxo,
Donari ignotum: sic hæret vena medullis:
Auri blanditur prægnantis gratia Musæ.
I Gabriel: iacta Britoni applausisse poëtæ
Patricium Italicum Strozza de gente, Valeq;.

¶ Appositi (Xenioli quantulicunque loco) Cosmus Roselettus, Pandulphi Strozzæ Comes, quiduis potius, quàm poëta.

ITalicum nomen Gabriel: Gabrielis Apollo
Italicus: lepor Italicus: carmen simul ipsum
Italicum: ingenium Italicum: quis deputet Anglum?
Quis nisi non Italus? vix hoc Boccaccius Anglo
Italicus magis, aut Dantes: nisi quòd mihi ab illis
Surripuisse sales sparsim, Venereq; videtur
Italicas: referens Æneam Syluium vbiuis:
Et Petrarcam, animam Italiæ, simulanter adumbrans;
Nec non ex alijs aliquid furatus Hetruscis:
(Quod fratri quoq; præscribit:) neq; non ego semper
Italici puto me Cantus audire Poëtæ,
Cum canit iste Anglus Italus: solam excipe gentem,
Est merus ille Italus: Britoni quæ diuitior laus
Contribui potuit? calamum nunc sistito Cosme,
Hoc satis; hoc superest.

Gabrielis Harueij

XAΪPE,

vel, Gratulationis Valdinenſis Liber ſecundus: *Ad Nobiliſſimum* Dominum, & Illuſtriſsimum Heröem, *Comitem* LEICESTRENSEM, Dominum ſuum optimum, *& optatiſſimum.*

LONDINI,
Ex officina Typographica Henrici Binnemani.
Anno. CIↃ. IↃ. LXXVIII.
Menſe Septembri.



D.5.

HONI SOIT QVI MAL Y PENSE
DROIT ET LOYAL

COROLLARIVM
Edouardi Grantæ, in Symbolum Gentilium Honoratiſsimi LEICESTRENSIS cui Rogeri Aſchami, diſertiſsimi viri Apologiam, certarumque Theſium explicationem dedicauit.

(*:*)

Parrhaſis an' hæc eſt Arctos, quã voluit Olympus,
Et ſequitur tardus rutilanti luce Bõotes?
An potius Cynoſura, breui quæ vertitur orbe,
Tam ſpatio, quàm luce minor, ſed certior vſu?
Parrhaſis hæc non eſt; Cynoſura LECESTRIVS *vrſus*
Hic dici meruit; claro nam nobilis ortu
Clarus ab Arthallo, qui primus geſſerat vrſum,
Perpetua proauûm ſerie, per nomina magna,
Belmontes veteres, Mandudos, atq; potentes
Beauchampos venit, tandẽm DVDLEIVS *vrſus*
Vt ſiet, vt poſsit Cynoſura Leceſtria dici:
Alteranam nobis Cynoſura Leceſtrius heros.
At Cynoſura polo ſplendet contermina ſummo.
Iſte micat terris, & quod vel tradere virtus
Poſsit, vel ſummi concedere ſplendor honoris,
Culmen vtrumq; tenet, ſummo quaſi cardine fulgens,
Aſt dux nocturna eſt Tyrijs Cynoſura carinis.
Hic dux perpetuus, Cynoſura Britanna Britannis,
Ingenijs patefecit iter, deſpectaq; Muſæ
Hoc duce colla leuant, meritis & præmia ſperant.
Semper inocciduis ſtellis Cynoſura refulget.
Semper inocciduo noſter q; micabit honore,
Occaſumq; pati neſcit, nec cedere ſede.
Quæ virtus fulcit, non occaſura reclinant.
Septenis ſtellis micat at Cynoſura polaris.
Septenus etiam micat hic virtutibus Heros:

Iuſtitia degit iuſtum; Sapientia cautum
Reddit; Relligio ſanctum; Conſtantia firmum;
Temperies caſtum; Pietas, Comitaſq; benignum.
Hinc, præclare Comes, ſpretis ſpes vnica Muſis,
Grantatuus librum ſquallore, ſituq; ſepultum
Eruit, & vobis deuotamente ſacrauit.
Quem tuus Aſchamus conſcripſit Apolline dextro,
Aſchamus nitidus, Ciceroq; ſecundus, & alter.
Accipe tu latè, ſis tu Cynoſura libello;
Harueijque vnâ fauſtum complectere χαῖρε.
Dum micat aſtrigero Cynoſura polaris Olympo,
Fulgeat hæc nobis Cynoſura LECESTRIA *terris.*

G. Harueij

Votum.

OEgo Musa essem vel prima, vel vltima; prisca,
Vel noua: non alijs versibus esset opus.
Quàm vellẽ in numeros mutari, Elegũq́, iocundũ
Reddier, & Domino dicere mollis, Aue.
Area tu mihi sola fores: LEICESTRIA *Musa,*
DVDLEIVSQVE Elegus *dicier vtq́, velim.*
Interea seruus tibi; Salue, χ̀ μάλα χαῖρε;
Musa, Elego, Phœbo deficiente; cano.
Scilicèt humanas depromens voce loquelas,
Psitacus & Domino; χαῖρε, Valéque; *sonat.*

¶ AD NOBILISSIMVM Dominum, & Illuſtriſsimum Heröem, Comitem LEICESTRENSEM, Dominum meum optimum, & optatiſsimum.

EIa Dudleiæ clariſsima gloria gentis,
Cernis, vt applaudant, mœnia noſtra tibi?
Cernus, vt aſpectu villæq́, vrbesq́, domiq́,
Fanáq́ captentur, prataq́ læta tuo?
Sis ſaluus, memorande Comes: Salus ipſa ſalutem,
Ipſa tibi dicit gaudia mille Charis.
Occurſant venienti omnes ſexuſq́, graduſq́,
Virq́, ſenexq́; puer, fœmina; diues, inops.
Ridet, & arridet, geſtit, lætatur, ouatq́,
Exſultatq́ ſuo quiſq́ ſubinde modo.
Vnus, Iõ Pæan: *& Iõ, canit ille,* Triumphe,
Alter & acclamans, Euge beate, *refert.*
Ecce Comes Comitum, prælustri nomine dignus
Et Ducis, & ſummi Principis; alter ait.
Quàm vellem ſeruire illi, canit alter: & alter,
O meus huic Gnatus ſi famuletur, ait.
Hic Aulæ decus eſt; hic eſt LEICESTRIVS Heros,
Hic alienigenis ſolus in ore viris.
Me miſerum ante alios, cui tam curtata ſupellex,
Cui deſunt tanto munera digna viro.
O capiant mea tecta illum; liceatq́ deinceps
Dicere: in hac fuerat DVDLIVS *ipſe domo.*
Hic cœnatus erat: hic, hic generoſa cubarunt
Membra: illic lætus talia verba dedit.

Sic vbicunq; retulit: neq; enim promissa aliquando
Aufugient, animo tam pretiosa meo.
Sis ferens, vbicunq; sies, prænobilis hospes,
Summus & incolumem sospitet vsq; Deus.
Si cuiquam Natura fuit, Fortunáq; Mater,
Illaq;, & illa tibi candida Mater erat.
Hæ voces, hi sermones, hæc verba popelli:
At q; alij, at q; alij talia multa canunt.
Quôq; magis generoso animo est, quô pectore quisq;,
Hoc & plura offert, & pretiosa magis.
Aspice, vt aduolitant, lectissima dona ferentes,
Pallas, Iuno, Venus, Phœbus, Apollo, Charis.
Sed neq; Mercurius, virga, & pernicibus alis,
Et chlamyde, & barba conspiciendus, abest,
Dij q;, Deæ q; aliæ, maiores, at q; minores,
Certatim hinc, illinc munera blanda ferunt.
Alma Ceres fruges: fragrantia pocula Bacchus:
Et Deus alter aues, & Deus alter oues.
Nec Neptunus abest: nec desunt dona marina;
Et Pomona alacri fert bona mala manu.
Pan præstò est: præstò est pariter Mauortius Heros:
Aduentu pariter gaudet vter q; tuo.
Salue, *omnes recinunt:* χαῖρε, *omnes voce præalta*
Ingeminant: Echo sæpius addit, Aue.
Ac repetit Bizari alius memorabile carmen,
Reginæ q; aptum te putat esse virum.
Musa, inquit, generosa Itali, Musa, inquit, Hetrusca,
His Comitem affatur, concelebrat q; modis.

¶ Petri Bizari Epigramma.

QVi Comes effectus, te dignum Principe præbes,
Dignus es, vt Princeps efficiare potens.
Sic Comes, & Princeps, Reginam in parte iuuando,
Accipias Regni tu quoque sceptra sui.

Hinc

Hinc leuius fiet regimen, curaque Britannis,
Te regnante simul, iura minore dabit.

¶ *Aliud eiusdem insigne Epigramma.*

INnumeri regnant, quos hîc seruire deceret,
Per multis desunt regna regenda viris.
Tu regere imperio dignus, vel maxima Regna,
Et quamuis desint, mens tua digna viget.
Hæc laus est potior, quàm si vel mille darentur
Regna tibi, si non dignus honore fores.
At cùm sis dignus, quàm qui dignissimus omni
Imperio, superos, dent tibi regna, precor.

Historiam quidam accumulat, meminit q; Hiëronis,
Qui cùm haud Rex esset, dignus vt esset, erat.
Sic præter Regnum, tibi nil Regale deesse,
Regia supremum cuncta dedisse Deum.
Maiestatem oris venerandi, heroica membra,
Augustumq; animum, regificumq; decus.
Totq; simul dotes excelsi pectoris, vno
Quot, si concurrant Principe, mirus erit.
Alter & adiungit generosi pulchra Vidami
Carmina, digna oculis, ELIZABETA, *tuis.*

¶ Vidami, Chartresij, nobilis Franci, honorarium Epigramma, ad Reginam.

QVis non Regali titulo dignetur, Equestri
Quos videt insignes, ordine, honore pares.
Incessu, splendore, habitu, meritisque decorus,
Quilibet in vultu suspiciendus erat.
Sed tamen vt Phœbus clara inter sydera fulgens
Emicat, & vincit cuncta nitore suo:
Sic omnes illos DVDLEIVS corpore pulchro,
Et raris superat dotibus ingenij.
Forma illi, augusto quæ sit dignissima quouis
Imperio, virtus Principe digna viro.

Ex illis iſte eſt, cui nil Natura negârit,
Regia ſi demas ſceptra, decuſque tuum.
Excellis forma, ſceptris, animoque refulges,
Ter fœlix, coniux ſi tibi fidus erit.
Te Natura gemit vacuo ſic viuere lecto:
Quod deeſt, quodque tibi eſt, accipe, daque Viro.
Eſt etiam Vtenhoui, te, te qui laudet, & inſtar
Edicti, numeros ſæpiùs ore ferat.
Alpha Robertorum, Dudleïus ille Robertus,
Haud ſatis eſt: recinit percelebrata magis.
Illáq; Regalis repetens Inſignia Honoris,
Reginæ Comitem vult fieri, atq; Ducem.

¶ Caroli Vtenhouij Epigramma.

CVr titulo Comitis te Regia virgo beauit?
Te comitem vitæ poſcit habere ſuæ.
Si titulum Comitis titulus Ducis amplior ornet,
Iamque Comes vitæ, Dux fueriſque viæ.
Duxque viæ factus, vitæ comes, ilicet, illam
Ducere quaque voles, quaque volet, poteris.
Nec deeſt, Haddoni qui carmen amabile cantet,
Eius & externis mercibus addat opes.
Diligo te, Gualtere, iſto de carmine multùm;
Qui Dominum, Comitem ſic facis, atq; Ducem.

¶ Gualteri Haddoni elegans Epigramma.

OBuia te læto Comitem LEICESTRIA vultu
Suſcipit, & potiùs vellet habere Ducem.
Sed tamen, vt verum fatear, præclare ROBERTE,
Eſt via, qua Comes, & Dux ſimul eſſe potes.
Te Comitem Fortuna Comes proſperrima fecit,
Et tibi dux Virtus te facit eſſe ducem.
Dux maneat Virtus, Comes & Fortuna ſequatur,
Sic patriæ fies gloria ſumma tuæ.
Audij & Hartuelli votum: meminiq; iteratum
Crebriùs: atq; idem crebriùs inquit, Amen.

Ipſe

Ipſe ego (ſic votum amplector) de verſibus iſtis
Amplector Manes, ô Abrahame, tuos.
Quos illi faciles Parcæ; *diuina Sybilla*
Vox mihi, non hominis cantio, ſemper erat.
Ille manu facili; *generoſi carmen Homeri;*
Maior in amplexum; *Palladis Oda fuit.*
Fortunatum omen: neq; enim fatalia nobis
Stamina, nec ſeries Stoica nota ſatis.

¶ Abrahami Hartuelli nobiliſsimum Epigramma.

NEc procul hinc vera præſtans virtute Robertus,
Flos ô nobilium, veraque nobilitas.
Ille nam facili prêndit qui fata, pijque,
Manſuetique animi nobile vadit iter.
Hunc quanuis anguſta nimis Leiceſtria totum
Abſtulit, & Comitem ſola tenere cupit.
Exſpectant vrbes aliæ; fatoque volente,
Maior in amplexum brachia tendet ager.
Siue ipſum, Auſtrali ponto diuerſus Hiberus,
Deuexúſue Scoto Vallus ab axe ſecet.
Quos illi faciles Parcæ meditentur honores
Quis norit? nec dum prodita fata ſciat?
Interea vetus vrbs, & noſtris intima regnis,
Afferat auſpicijs omina fauſta bonis;
Sit pariter populo Leiceſtrius intimus omni:
Hunc animo Princeps interiore colat.
Hæc, & plura iſtis memorantur voce frequenti,
Digna tuis oculis, pectore digna tuo.
Nemo tibi non regificos impertit Honores,
Exſpectat Capiti non diadema tuo.
Fata illis ignota Deum: ſed quiſq; precatur
Regalis tandem ſponſus vt eſſe queas.
O videat mea Muſa diem, mea lumina lucem
Aſpiciant, non tam feſta erat vlla dies.

Regiam ego ſobolem, Dia bona pignora Matris
Sperarem: & quid non latius Angle foret?
Hæc mea vota fuêre, aliorum hæc vota fuêre,
Quippe etiam Patriæ Votum erit, atq; fuit.
Sunt etiam, qui me bis, terq;, quaterq; beatum
Iurent, quem tali ſors decorauit Hero.
Et tamen ipſe mihi bis, terq;, quaterq; miſellus:
Cui nihil eſt, talis quo recreetur Herus.
Quò fugitis Muſæ? mea quò ſuadela recurrit?
Quò te, Phœbe, animus? quò, generoſe, pedes?
Mercuri ades, bone Mercuri ades: Dominumq; ſalutat
Ipſe tuum, atq; oculos ipſe reuiſe tuos.
Deſeror infœlix, non me Caducifer audit,
Negligit ac votum cultus Apollo meum.
Quid faciam? quo te amplectar, Chariſſime, verſu?
Non mihi, Gratus ades; *non placet,* Ipſe venit.
O & præſidium, *tritum eſt, vulgaria vulgo*
Conueniunt, Domino non niſi rara meo.
Sol faueat, faueat vigilanti lucidus Æther,
Nox dormitanti, lunaq; amica ſiet.
Leniter aſpirent venti, ſubrideat aër:
Æolus & blandos edat ab arce ſonos.
Et pluuiæ ceſſent: & nubibus inſit inane:
Et vacuum in media ſit regione poli.
Fortuna ipſa tibi, cælo delapſa ſereno,
Obuiam eat, gazas participetq; tuas.
Terra parens, nati labris mellita labella
Miſceat, & varias prodiga fundat opes.
Ipſa Elementa dapes, ac pulpamenta miniſtrent,
Accumulentq; epulis pemmata mille nouis.
Sit Thermarum inſtar, quacunq; lauaberis, vnda,
Buxſtonicæ ſemper te comitentur aquæ.
Nec modo aquam vitæ Deus ipſe impertiat, ignis
Sed tibi vitalis, terraq; & aura ſiet.

Sine

Siue quid ipſa poteſt Chymicorum Eſſentia quinta,
Propitiatrices porrigat ipſa manus.
Siue abeas, ſeu tu maneas, ſint proſpera, fauſta,
Suauia, læta animo ſingula quæq; tuo.
Seu vigiles, ſeu dormites, noctesq;, dieſq;
Exhilarent pectus gaudia mille tuum.
O vatem nimis exilem: vulgaria cantas:
Deſeruit calamum comptus Apollo tuum.
Muſæ etiam, fateor: ſed quæ mihi gratus Apollo
Dictauit, ſpes eſt carmina grata fore.
Serui erat, vt potui, Domino bona cuncta precari,
Cum mage lautus ero, tum mage lauta canam.
Votorum interea prora hæc, puppiſq; meorum,
Ne Fortuna rotam vertat iniqua ſuam.
Da Deus, iſta meo Domino ſic carmina quadrent,
Vt ſemel illa canam, ſemper vt illa canam.
Illudit reliquos omnes Fortuna, tibi vni
Fida Dea eſt: immo ſeruula fida tibi eſt.
Sæpe mihi viſa eſt alijs Natura Nouerca,
At tibi ſemper adhuc candida Mater erat.
Sic ego: ſic mecum Valdinea noſtra precatur:
Quacum ego, quæ mecum ſæpe reclamat, Iõ.
Dixi ego, dicat idem, qui regna, & ſceptra gubernat:
Hoc ſatis at q; mihi eſt, hoc ſatis at q; tibi eſt.
Et tamen, ecce animi cauſa noua carmina luſi,
O vtinam Domini carmina digna manu.
Perplacuit paucis tecum Machauelle, Iocari:
O Florentinus floreat ore lepos.
Rideo ego; plorare tibi licet, at q; licebit,
Quod procul eſt Princeps, ô Machauelle, tuus.
Noſtra aliam ad formam Princeps fabricata, ſereno,
Non Tragico populos aſpicit ore, ſuos.
Haud ita geſtirent ciues, veniente Tyranno,
Vulpe, Leone, Apro, trux Machauelle, tuo.

Terri-

Terribilis tua pompa nimis, non Barbara nobis,
Turcica non rabies, non laniena placet.
Borgia non Anglis tanti est: non ipse Seuerus,
Non Pœnus, cordis portio magna tui.
Dignus amore amor est: & Scipionizat Elissa,
Nec curat dentem Scipionæa tuum.
Scipio & in nostris Magnatibus alter, & alter
Hinc, atq; hinc Aulam, regnaq; tota beat.
I Machauelle ferox, quô te truculenta tyrannis,
Quô Furor, & Furiæ, diraq; Enyo vocat.
Candidulæ Anglorum Rupes, non ferre cruorem
Atratum, non vim Scipionæa potest.
Fœlices Rupes: color optimus, albus: in orbe
Non Princeps par est, Scipionæa, tibi.
Et tibi, summe Comes, reliquos spectabilis inter
Scipiadas, Vrsa *est candida, gentis apex.*
Vis dicam quid sit? robur non displicet Vrsæ,
Candida si fuerit, si rabiosa minùs.
Hinc etiam tibi Maiestas quoq; Regia, nullo
Fœda cruore, almæ pacis amica placet.
Et Cynosura *tua est, Laus, Magnificentia, Virtus,*
Integritasq; animi, nobilitasq; tui.
Fælix Vrsa *nimis: sed quorsum plura? iocari*
Si vacat, Ecce meos, ô generose, iocos.

¶ Epigramma in effigiem Machiauelli.

Machiauellus ipse loquitur.

QVæris, ego qui sim? Rex Regum: totius orbis
Imperium digito nititur omne meo.
Nemo regat, qui non Machauellica dogmata callet:
Nec sapuisse putes qui minus ista sapit.
Cætera sunt vmbræ, fumi, ludibria, risus,
Regna ego sola loquor, sceptra ego sola loquor,
Pacem optent pueri, vetulæq;, senesq; miselli,
Castra ego sola loquor, bella ego sola loquor.

Plebis

Plebis amor nihil est; nihilo minus, Indiga Virtus:
Verba ego linquo alijs; facta ego mira patro.
Ecce oculos: Furor ijs habitat: manus altera saxum;
Altra ensem torquet: toxica in ore latent.
Spiritus hinc, atq; hinc perfusus mille venenis:
Ferrea frons, Orci pectora digna Deo.
Emblema est, semperq; fuit: Iuuat ire per altum:
Aut nihil, aut Cæsar; *noster Alumnus erat.*
Nil mediocre placet: sublimia sola voluto:
Lac pueris cibus est: sanguine vescor ego.
Mille neces obeat vulgus, modò sceptra capessam;
Non flocci cruor est, non laniena mihi.
Dispereant abiectæ animæ; trudantur ad Orcum:
Solus ego sapio, viuo, triumpho mihi.
Cætera quis nescit? Fraus *est mea maxima Virtus:*
Proxima, Vis: *alios non ego nosco Deos.*
Ingenij monumenta mei Regalia volue:
Nec posthac quæres; Quis Machauellus erat.

¶ G. Haruei Mercurius Florentinus,
vel Machiauelli ἀποθέωσις.

Mercurius forte aspiciens Machauellica scripta,
(Ostendit Cosmus nam Medicæus ei)
Proh superi; indignans; Quis vestrûm munera nostra
Surripuit? quis me sic spoliauit? ait.
Vnde tibi, Machauelle, meus, dic, spiritus vnde?
Sunt duo; sunt nobis corpora; mens eadem est.
Forte alia in terris Maia est; & Iuppiter isthinc
Clam se subduxit, progenuitq; nouum
Mercurium; veteri quid fiet, nescio: noui
Humanos mores: prisca nouata iuuant.
Pessima subuereor; noua regnant sydera: res est
Suspiciosa nimis, perniciosa nimis.
Quid referam? quid agam? quó vertam lumina? Maia
Dic sodes, vtero cretus an iste tuo?

An nouus, an vetus est? an neuter, & omnia? sed cur
Me veterem appello, te, Machauelle, nouum?
Iuppiter absoluit litem; neq; enim nouus ille,
Nec vetus ipse, refert; vnus vterq; Deus.
Audij, & obstupui primò, sed magna Tonantis
Verba fidem faciunt: scilicèt, alter ego est.
Non Deus ipse vnus: sed nec Deus vnicus ille;
Vnus vterq; Hermes: vnus vterq; Deus.
Dixerat: atq; sinu Machauellica scripta recondit;
Auctorem q; notans: Hic, ait, alter ego est.
Iuppiter arrisit; Maia indignata parumper
Mox ait: ergo etiam filius iste meus.
Assensêre Dei, atq; Deæ: Machauellus & vno
Cunctorum assensu; Mercurius Deus est.
Inuideo, Machauelle, tibi, iam dicere Cosmus
Cœpit, & exili fundere plura sono:
Iuppiter infensus; cum mox edicit; vt illi
Nemo sub inuideat, ni velit ire foràs.
Protinus & Cosmus, Leo, Clemens Septimus, vnâ
Et Medicæi omnes, Numina Hetrusca, canunt.

¶ *Medicæorum Hymnus.*

MErcurium peperit Florentia: fallitur orbis:
Qui Macheuallus erat; Mercurius Deus est.
Hunc fures, mercatores, rigidique Tyranni,
Causidicíque vagi, Iuridicíque leues;
Periuri, veteratores, Ianique bifrontes,
Perfidi, & immanes, fædifragíque Duces.
Vertumni, Protei, Theodori, Diagoræque,
Soldanique truces, horribilesque Scythæ.
Centaurique feri, serpentigerique Gygantes,
Centoculíque Argi, centimanique Gyges.
Crudeles Mahometigenæ, saracenica Monstra,
Styx, Acheron, Phlegetõ, Tartare, Auerne, Charon.

Quique

Quique Deum è cœlis, è terra faſque, bonumque
Tollitis, hunc omnes, hunc colitote Deum.
Euge nimis fœlix, nimis ô Machauelle beate,
Diuorumque Deus, ſemideúmque Deus.
Vertumnus, Ianus, Triton, Mauortius Heros,
Agnoſcunt numen, maximè Duce, tuum.
O terram auguſtam; Deitatis portio tanta
Cui fuerit: fœlix ô Medicæa domus.
O Florentini, ſuper omnia Numina fauſti
Quêis Genius tantus, tantaque ſtella præeſt.
Iuppiter annuerat: plauſumq; dedêre minores
Diÿq;, Deæq;: nouo ſacrificant q; Deo.
Sacrificaturos Deus ipſe affatur amicos:
O Diÿ, quanta Dea eſt Fraus *comitata Dolis?*
Non miranda Dea eſt, cui cæli Eſſentia quinta,
Quatuor & parent terræ elementa Deæ?
Hinc ego diuinis cumulatus honoribus, inter
Reges; atq; Deos, Rex color, atq; Deus.
Hinc manibus ſupera, ima fero; ſeptemq; Planetas,
Bis ſeptem Reges, Pontifices q; meis.
Mortales, reliquorum hominum comburite ſcripta;
Solus ego Reges, Regnaq; veſtra rego.
Dixit: at excepit Pallas Britannica regna:
Conticuit q; Deus, conticuit q; Dea.

¶ Emblema è Græco τῦ Σαμίυ.

FVrta, doliq; Deos faciunt! Deus ecce vocatur
Mercurius, furtis ſcilicet, atq; dolis.

¶ Epigramma in Effigiem Nobiliſsimi Comitis LEICESTRENSIS, duobus abhinc annis Londini conſcriptum; *& ex eo tempore à multis deſcriptum.*

¶ Pictura loquitur.

EN generoſum hominem, pulchrum magis omnibus vnum:
En tibi Britannæ Nobilitatis Honos.

Quæris, qui tanti talem genuêre Parentes?
Tres habui Matres; tergeminósq; Patres.
Prima Venus Mater: Charis altera: tertia Pallas:
Ex Patribus, primas doctus Apollo tulit.
Adde huic Mercurium: Plutum superadde potentem:
Quære alios Patres, qui minus hosce probas.

¶ Epigramma in Effigiem Nobilissimi Comitis Varuicensis, eodem etiam tempore exaratum; & Dudleiani Honoris, dignitatisq; ergô, fraternis etiamnùm laudibus ascriptum.

¶ Pictura loquitur.

HVc quoq; tu spectator ades; non fortior alter
Brutiadas inter, Saxonidasq; fuit.
Mater erat Bellona ferox; violentáq; Enyo
Pauerat vberibus fulgida ad arma suis.
Ecce lacertorum thoros, pectúsq; virile,
Membraq; prævalidi corporis, apta Duci.
Me genuitq;, aluitq; olim Mauortius Heros:
Infantiq;, Hercles Anglicus, *inquit*, eris.

Gabrielis Harueij

XAΪPE,

vel, Gratulationis Valdinenſis Liber tertius; *Ad Honoratiſsimum*, ſpectatiſsimumq́; virum, Dominum BVRGLEIVM, *magnum Angliæ Theſaurarium, ſummumque Academiæ noſtræ Cantabrigienſis* Cancellarium.

LONDINI,
Apud Henricum Bynnemanum
Typographum.
Anno. CIↃ. IↃ. LXXVIII.
Menſe Septembri.

POETÆ ἀπορία.

ELoquar? an sileam? breue tempus postulat altrum:
Præcellens altrum Laus mihi mandat opus.
Quid faciam? REGINA *Aedes intrauit* ELISSA:
Sunt illi, & Domino carmina scripta meo.
An caput hoc venerandum aliqua sine syllaba abibit?
Debetur canis littera nulla suis?
Grande nefas, patrare scelus tam grande Thalia:
Saltem illi blando dicito, χαῖρε, sono.
Huic Mater Sophia ipsa fuit; Pater ipsus Apollo;
Aut Iouis è cerebro forsitan haustus erat.
Sunt illi Charites, Musæ, Veneresq; sorores;
Affinisq; Lepos; conq́; sobrina Themis.
Compellare decet: bonus est, valdeq́; benignus:
Ne metuas, tali dicere, Χαῖρε, viro.

HONI SOIT QVI MAL Y PENSE
CCRVNVM VIA VNA.

¶ AD HONORATISSIMUM, amplißimumq; virum, Dominum BVRGLEIVM, magnum Angliæ Thesaurarium.

TE quoq; Carminibus iußit Prudentia dudum
Compellare meis, condecorare meis.
Diua aderat generoſa, choro comitata noueno;
Nec Themis ipſa aberat, nec Charis vlla aberat.
Eia inquit, quid agis? reſtat BVRGLEIVS Heros
Voce ſalutandus, verſiculisq; tuis.
Fallor ego, an veſter non Cancellarius ille eſt?
Annon Cantabria ſummæ columna ſchola?
Eius an ignorare potes præconia, cuius
Arbitrio Chamus, Grantaq; tota fluit?
An reticere eius præconia, Neſtora Regni
Quem Ramus quondam dixerat eſſe tuus?
Ipſa ego, Prudentum ſoleo appellare medullam:
Nec magis eſt cordi gratus Apollo meo.
Perlege Vtenhouium; ſatis eſt tibi cognita vatis
Muſa peregrini, carmina trita ſatis.

¶ Caroli Vtenhouij Epigramma.

CÆCILII ſat notus honos, ſat gloria: nomen
Vnde ſed hoc illi, dicite Sicelides.
Sicelides Muſæ, veſtri præconia vatis
Dicite, de veſtro nomine nomen habet.
Sic ego: Sicelidum contra ſic vna ſororum
Sicilis, à Siculis nomen adepta iugis.

Comica præcipuos inter, quos Scena poëtas
Laudibus in cœlum prisca que fama tulit;
CÆCILIO (tenebris licèt illius obruta cocis
Pagina,) Sedigiti palma fauore datur.
CÆCILIVS superat grauitate; *Terentius arte*;
Flaccus ait, Latiæ gloria prima lyræ.
CÆCILII grauitas venusino dicta poëtæ
Comica, notitiam posteritatis habet.
Et tua præconem grauitas pia nacta poëtam,
Post tua, ne dubites, fata, superstes erit.
Ille ego, CÆCILIVM qui, Sicelidemq; sonabo,
Ille ego, qui tollam nomen ad astra tuum.
Quod seu CÆCILIVS tibi, Sicelidesue dederunt,
Sicelidum numen, nomen, & omen habes.
CÆCILIO quantùm Latio Comœdia debet,
Tantùm CÆCILIO terra Britanna suo.

Notus & ille tibi, cuius Literata *vigebit*
Princeps, *dum literis vita erit, atq; salus.*

¶ *Epigramma Abrahami Hartuelli.*

ET quamuis toruos immisit in arua Leones
CÆCILIVS, nostri spesq;, salusq; gregis,
Ille bonus segetis custos, adamante reuincto,
Seruat, & inuicto prata Leone tegit.
Macte Leonina segetes attollere dextra.
Tu patriæ custos, publica gaza, seges.

Arboris & meminisse potes, Fontisq;, Patrisq;,
Cui sobolem exoptat Musa Britanna parem.

¶ *Epigramma Gualteri Haddoni.*

CÆCILIANA suos Arbor diffundere Ramos
Incipit, & claro fructificare solo
Sic, ô sic superi, magno de nomine nomen
Crescat, & in multis perpetuetur auis.

Omnia

Omnia præclarum memorabunt ſæcula Patrem,
Gloria de tanto fonte perennis eat.
Quàm patriæ fœlix Pater eſt; tam proſpera Patri
Sit ſoboles; voti ſumma ſit iſta mei.

Nec tibi Bizari non explorata Camœna,
Qua facit Atlantem, Cæciliumq; pares.

¶ Petri Bizari Epigramma.

FAma refert, humeris quòd cœlum ſuſtinet Atlas,
Parque oneri tanto ſuccubuiſſe nequit.
Tanta tibi eſt grauitas, eſt & prudentia tanta,
Vt quiduis digné ſuſtinuiſſe queas.
Etſi igitur multorum ope, conſilioque regatur
Anglia, nemo tamen vtiliora dabit.

Turpiter an mutus ſolus potes eſſe poëta?
Nec tibi cura tui, nec tibi cura ſui?
Dedecet elinguem tam feſto in tempore vatem
Dicier; ô quid agis? campus apertus adeſt,
Dixerat: & quædam conatum verba referre,
Deſeruit vatem, deſeruêre ſuum.
Ecce tibi, vt ſemper laudes meditentur alumni
Diua Sophia ſui, diua Minerua ſui.
O vtinam mihi vena foret, te digna, tuiſq;
Moribus: haud alijs vatibus eſſet opus.
Non ego Vtenhouio, non cuiquam cedere vellem,
In laudes fureret Muſa canora tuas.
Haud magè fœlici celebraret Neſtora verſu,
Haud Ithacum, vatum maximus ille Pater.
Mille refers Ithacos; bis centum Neſtora vincis,
Ingq; tuo latitant pectora mille ſinu.
Det Deus, ingenio multùm vt tu Neſtora vincis,
Multus ſic annis exſuperaſſe queas.
Sunt tibi, ſunt oculi plures, ſunt lumina mentis,
Quàm tribuêre Argo ſæcula priſca ſuo.

Nocte etiam vigilas, & aperto ſtertis ocello;
Non Leo, non Gallus, non mage Luna vigil.
Credo vel in terris habitat rediuiuus Apollo,
Ingq; tuo reſidet viuus Apollo ſinu:
Vel tibi cuncta dedit veterum ornamenta Sopherum;
Quot nec erant ſeptem, qui celebrantur, auis.
Tu patriæ mirâclum ingens: tu prouidus Hermes:
Et tibi: Mens, *inquit terra Britanna,* mea es.
Te dextram agnouit Reſpublica, ſenſit Eliſſa,
Et uidêre omnes, & coluêre ſuam.
Cromellus *tibi dat palmam; dat* Vintonienſis;
Dat Checus, *&* Smithus, Vuttoniúſque *tibi,*
Quorſum ego Tõſtallum, Morumúe, Polumúe *recorder?*
Cæcilio *primas illeq;, & ille refert.*
Cedite vos Regum, Reginarumq; Magiſtri,
Franci, Itali, Hiſpani, quotquot & orbis habet.
Conſilioq;, fideq; omnes Bvrgleivs *Heros*
Arcani ſuperat numinis vnus ope.
Qui ſit, vt huic Nemeſis, bonus vni ſpiritus adſis?
Cùm malus ipſa aliÿs ſpiritus eſſe ſoles?
Haud temerè eſt: cæli arrident tibi ſydera cuncta,
Et Locus, & Tempus paret, & ipſe Polus.
Si quiſquam Fortunæ *vnquam* faber *extitit; is tu:*
Illa regit Mundum: tu dominaris ei.
Na Iouis è cerebro fabricatus, vt ante Minerua,
Singula cæleſti numine capta geris.
Sed Iouis, & Phœbi, & Nemeſis ſunt nomina vana:
Has tibi diuitias Chriſtus Apollo dedit.
Auſpice eo, tot, tanta facis, facieſq; ſubinde:
Quo ſine, regnorum eſt irrequieta quies.
Ille autor, fautorq; fuit, pacisq;, bonique
Anglici; & ille tibi dexter vbique fuit.
Extera ſunt miſeris Regna afflictata ruinis,
Et meminiſſe animus, dicere lingua tremit.

Franci,

Franci, Germani, Scotiq́, Italiq́, & Iberi,
Luxerunt patriæ vulnera cruda ſuæ.
Nos ſoli incolumes: vigeat mitiſſima Princeps:
Nobilitaſq́ omnis, Cæciliuſq́ bonus.
Fortunati Angli, Princeps, Reſpublica tota,
Cui Deus ex alto ſic fauet ipſe polo.
Iam quotus hîc non quiſque canat, quota quæq́ triumphum?
Vt ſileant homines, tecta loquentur, Iö.
Patria te, patrÿq́ Lares, Genÿq́ ſalutant;
Communiq́ omnes voce loquuntur, Aue.
Principis hic manus eſt; caput eſt; canit alter, & alter;
Imperÿ columen, tertius inquit, adeſt.
Conſilÿ Oceanus; virtutum illuſtre theatrum;
Arx pacis, nullo dilapidata dolo.
Fons tantæ requietis; apex probitatis auitæ;
Iuſtitiæ templum; relligionis honos.
Filius Aſtreæ, Themidiſq́, Artiſq́ ſatelles,
Iudicium totus, totus & ingenium.
Non fas eſt, cunctas hominum percurrere voces:
Non placet auditos, connumerare ſonos.
Charta mihi, tempuſq́ mihi, pennæq́ deeſſent,
Et numeri innumeri, metraq́ ἄμετρα forent.
Quiſquis erat, Iani cecinit qui carmina Duzæ,
Applauſu cecinit ſæpe iterata nouo.
Nec calamum cohibere meum, nec pectora poſſum,
Quò minùs illa iterum ſæpe iterata canam.

¶ Iani Duzæ Nordouicis Ode.

NOn hîc auorum facta leges tuûm:
Non res tuas hîc carmine maſculo
Dictas recognoſces CÆCILLE,
Tergemino celebrande Honore.
Magna canant te voce, quibus dedit
Fortuna dotes, ô, propiùs tuas

Nouisse,& vsurpare coram
Aure,oculis,animique mente.
Facundiæ vis quid valeat tuæ
Sensi ipse,cùm tot verba suauia,
Mellita cùm tot dicta nuper
Nestoreo iaceres ab ore.
Ecce arbitrabar(sint procul hinc, procul
Commenta vatum) escio quem nouum
Solona descendisse cælo.
Sensi ipse,sensi,peruia vt omnia
Tua ista vox mi fecerit aurium
Templa,intimasque se in medullas
Multiplici penetrarit ictu.
Quid mirum? vbi ipsa huic eloquio fauet,
Dulcique curas decipitur sono
Regina,doctarumque iuxta
Nereidum recreantur aures?
Quas inter,vxor tantum alias tua
Veris bonorum dotibus anteit,
Quantum minores inter ignes
Plena notho micat orbe Luna.
O te beatum sorte ter,& quater
Tua,vetustas seu quis imagines,
Seu spectet è gestis paratos
Rebus,& ingenio triumphos:
Tali beatum sed mage compare.
Quo Musa ferris? desine Principum
Laudes virûm, ah,rudis iuuentæ
Detenere,ingenijque culpa.

Vox eadem mihi, Magne Heros, mihi conuenit Ode:
In primisq; illud: Quo mea Musa ruis?
Agnosco ingenij culpam; rudis atq; iuuentæ;
Attamen ignosci grata Thalia cupit.

Addidit

Addidit ipſa animo Prudentia, quæ mihi primam
Scribendi ſyluam, materiemq; dedit.
Non ego ſum tanti: tua, prudentiſſime Neſtor,
Facta, nouam Muſam, Sicelidemq; petunt.
Sed voluit tibi Pica ſuum quoq; dicere, χαῖρε,
Pſittacus & blando perſonat ore, Vale.
Nec tamen hîc finire placet; noua carmina dudum
Ridiculi Effigies ludere fecit aui.
Moxq; Heraclitos ploratus mente volutans,
Accumulaui alios, ſenſa ſeuera, modos.
Hæc Deus, hæc Princeps Dea nobis otia, fecit;
Hæc tibi, Magne Heros, otia noſtra dico.
Otia ſi fuerint, & ſi tibi quando vacabit,
Arbitrio poteris peruoluiſſe tuo.
Interea, noſtri Pater, atq; Patrone Lycæi,
Fauſta tibi vates cuncta precatur iners.

Epigramma διαλογικὸν in Effigiem Democriti.

SPECTATOR. DEMOCRITVS.

Spect. CVr ita? cur ſemper, Democrite candide, rides?
Quid tam ridiculum tua quondam protulit ætas?
Dem. Parturiêre meæ Montes ætate niues ſi.
Spect. Quid tum? quid natum eſt, Democrite? Ridiculus Mus?
Dem. Ha, nihil eſt; Montes ego vidi millia multa
Parturiiſſe olim Murum perridiculorum.
Spect. O vtinam noſtra iam tempeſtate fuiſſes:
Te ſplen deficeret: tanta undiq; copia Murum
Ridiculorum inſtat: tantis ludibria turmis
Occurrunt, tot ſunt ludi, technæq;, iociq;,
Hi, illic: tot ſunt arteſq;, aſtuq; venuſti:
Tot lepidi mores hominum, tot ubiq; faceti
Humores, quid tu, Democrite candide, ſentis?

Ha,

Dem. *Ha, Iuuenis, tu quære prius; Democritus iſte,*
Quis, qualis, quantus Riſor, quo ſydere natus?
Totus ego Splen *ſum: totus ſum Riſus amœnus:*
Totus ego ludus: totus iocus intus, & extra.
Ridebat Mater, cùm me peperiſſet; eamq́,
Cùm genuit; Pater irriſit: ſed ſæpius illum
Illuſit Mater: reliqui fleuêre puelli,
Iam primùm in lucem venientes: ipſe priuſquam
Aſpicerem hanc lucem, Matremq́, Patremq́, alióſq́,
Matris adhuc vtero concluſus, nauiter omnes
Ridebam: Riſumq́ ipſum mihi gignere iam tum,
Filiolumq́ nouum peperiſſe videbar eundem:
Et Pater, & Mater Riſus, Patruuſq́, Atauuſq́:
Vnicus exſuperans omnes, quicunq́ fuêre
Ridendi Artifices: quoſcunq́ aliquando futuros
Poſteritas edet: quantus ſum denique quantus,
Totus ego, totus Riſus, Luduſq́, Iocuſq́.

Spect. *Ridiculum. Næ tu, Riſus generoſe, fuiſti*
Partus abortiuus: tua iam nunc incipit ætas:
Omnia ſunt riſu peregrina, domeſtica plena.

Dem. *Ha, Generoſe, vno digito compeſce labellum,*
Cuncta videre potes, potes & ridere viciſſim
Omnia: & impune alterutrum: ſed diſce tacere.
Democritus loquitur: ſed Apollinis eſſe putato
Oráclum, ſummo Tripodis de culmine lapſum.
Vel Sophia magis ille Sophus, qui callet vtrunq́:
Et reticere loco, (magnum eſt) & tempore fari.
Ha, male ſani homines non norunt tempore fari:
Ha, nequeunt reticere loco: res digna cachinno.

Epigram-

¶ Epigramma διαλογικὸν in Effigiem Heraclidi.

SPECTATOR. HERACLITVS.

Spect. *SAlue, Heraclite: quid eſt? lachrymas cur fundis, amice,*
Noctes, atq; dies? cur ſic anguore liqueſcis?

Her. *Guttula ſi quæuis pelagus, pontuſq; fuiſſet:*
Non mihi, non vitæ noſtræ ſatis eſſe putarem,
O curiæ in terris animæ, & cæleſtium inanes.

Spect. *O noſtram vitam aſpiceres, Heraclite: doleres*
Tu minùs, ij ſancti, Genijq; fuêre beati,
Quos tu deploras: non vulpes protulit, illa,
Non tigrides, non ſerpentes, non numina Ditis
In ſpecie humana; rudis, inſons, flexilis ætas.
Noſtra ſed hæc ſcena eſt: & vita Tragœdia tota,
Hic, & vbiq; Pelops, Atreus, rigiduſq; Thyeſtes,
Actores implent grandi clamore theatrum.
Omnia vi, virtute nihil: dominatur in orbe,
Perſephone comitata truci, implacabilis Ate.
Sunt Puerorum Artes, Virtus, Pietaſq;, Fideſq;;
Digna Viro fraus eſt: iampridem Aſtræa tribunal
Deſeruit: miſerum probitatis nomen, vbiq;
Ridiculum eſt: technæ ſolium, ſceptrumq; capeſſunt,
Factitiaq; regunt fabricæ, laqueiq; doloſi.
Sunt, quibus & iocus eſt, hominum tria millia, nocte
Perdere, queis ſtrages populi, cædeſq; cruenta,
Fœmineo hinc, illinc tabo inſignita virili,
Comica res, ſcenæq; inſtar, ludiq; videtur.
Siſte quiritari tandem, maleſane Poëta:
Nunc nimis, heu, verum eſt, quod tu clamare ſolebas:
Nil erit vlterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas: *ſunt, qui mores cæpere ferinos,*
Vulpinoſq; aſtus libris, rabiemq; lupinam
Propugnare ſuis: prædatorumq; Leonum
Naturam, ac faſtum, truculentaq; facta probare

Principibus, proprioq; metiri cuncta furore.
Mundus cum superis bellum gerit acre, Deumq;
Prouocat iratum: Furiæ, Lemuresq; nefandi
Instigant animas hominum, mentesq; malignis
Artibus inuadunt: vexat censura columbas:
Exsultant corui, tigrides grassantur inultæ.
Nusquam tuta fides: dolus occupat omnia, vt aër,
Imperio potitur correpta furore tyrannis.

Her. *Prisca querela fuit, nostris accommoda sæclis,*
O cœcas hominum mentes, ô pectora cœcâ:
Tu nisi falsa canis, mage conuenit ista querela,
O diras hominum mentes, ô pectora dira.
Prisca fuit: quantum ô, quantum est in rebus inane?
Sed noua erit: quantum ô cunctas immane per oras?
Omne in præcipiti vitium stetit, ille canebat:
Fas plorare mihi, vitio vitiosius omni
Nescio quid *passim vestrum regnare per orbem.*
Temporibus si sacla istis, si tempora forte
Nostra reseruassent, visurum talia monstra,
Quid facerem infœlix? oculos caligine cæcos
Effoderem? nihil est: aures per sæpe crearent
Horrendos gemitus, mens ipsa madesceret intus.
Credo equidem, quicquid digitus tetigisset, id omne
Mox fore aquam; Lachrymas, quicquid spectâsset Ocellus.
Viuerem aqua, more Halecis; pluuiasq; sitirem,
Et biberem: Lachrymas, Lachrymis & vescerer vnis.
Nescio quis, nisi forte Thales fuit, omnia quondam
Qui tribuebat aquæ, sola hæc mihi secta placeret,
Deplorarem alias: solum mihi Lympha Elementum,
Solum alimentum esset: flerem sine fine, modoq;:
Et fieri Mare percuperem, Scyllasq; pararem
Artibus ipsorum insanis, illisaq; nostros
Sæpius ad scopulos, vitia infinita videres.
Pragmaticorum oculos, artus, præcordia fœda

Monsti

Monstra marina ederent; capta importuna voraret
Alueus immensus, fallacia frangeret ausa
Hinc, atq; hinc atrox immani gurgite vortex.
Deniq; inhumanas vulpesq;, luposq;, latentes
Humana in specie, nostra vulpesq;, lupiq;
Dentibus arriperent, laniataq; viscera adimos
Abijcerent Manes, nullis redimenda querelis.
O vtinam nostris genuissent tempora saclis
Talem siue hominem, seu te mare dicier optas.
Talem ego forte hominem, Diuum, Numenq; putarem;
Nec pontum mare, sed cæli quasi flumina quadam
Crediderim, foret in placido nostra anchora portu,
Cymbaq; Virtutis non sic quassata periret.

¶G. HARVEII XAΪΡΕ,

vel, Gratulationis Valdinenſis

Liber Quartus.

Ad Nobiliſsimum, præclariſsimúmq;
Dominum, Comitem OXONIENSEM, *magnum*
Angliæ Camerarium:

Ad Honoratiſsimum, & Ampliſsimum Vi-
rum CHRISTOPHORVM HATTONVM,
Equitem auratum, atq; Regiæ Maie-
ſtatis Conſiliarium:

Ad Clariſsimum, Nobiliſsimúmque
Iuuenem, PHILIPPVM SIDNEIVM, *Hen-*
rici proregis Hibernici, Filium.

LONDINI,
Ex officina Typographica Henrici Binneman.
Anno. CIↃ. IↃ. LXXVIII.
Menſe Septembri.

VERO NIHIL VERIVS

¶ DIALOGVS IN EFfigiem Nobiliſſimi Comitis OXONIENSIS; illiusq; elegantiſſimum Symbolum:

Vero nil verius.

SPECTATOR. PICTOR.

Sp. VErine *Effigies?* P. Veri *eſt.* s, Nil verius illo:
Pic. *Verius hac nihil eſt.* s. *Laus ſua, laus q̃ tua eſt.*
Sp. *Vnde illi nomen?* P. *Quia verũ amplectitur, odit*
Quod falſum eſt: Regem verè amat at q̃ Deũ.
Sp. *Verus amor* Veri *eſt, cui Verum, Rex q́, Deus q́,*
Et patria, & patriæ verum in amore decus.
Pic. *I modo: dic* Vero *Comiti;* Nil verius illo:
Non Dea, quæ fertur Tempore nata Deo.
Cæruleus, *color eſt veriſſimus, inquit Heraldus:*
Quàm bene nunc Apro conuenit ille ſuo?
Sint alijs Aquilæ; ſint vrſi; ſint q̃ Leones:
Cærulei Vero *forma placebit Apri.*

¶ Alter Dialogus in eiuſdem aduentum optatiſſimum.

HOSPES. AVLICVS.

Ho. AN *verum eſt, veniſſe vná cum Principe* Verum?
Au. *Verum eſt: & vero verius hoc nihil eſt.*

Sed

Hoſ. *Sed nec erit quicquam, nec* Vero *eſt verius ipſo;*
Verò etiam Verus *verior ipſe tuo eſt.*
Aul. *Nomen habet, ſemperq; habuit quaſi numen in illo:*
Sic Verus *verax* Induperator *erat.*
Hoſ. *Subditus hic verus; verus fuit ille Monarcha,*
Verus item patriæ cultor vterq; ſuæ.
Aul. *Cui minùs hoc omen placeat, nec nomen eidem,*
Nec patriæ placeat gloria Vera ſuæ.
Hoſ. *Viue, Comes Generoſe, diu, te,* Vere, *ſecundet*
Verum ipſum: & Veri filia, vera Dea.
Illa tibi, ſæpe illa tibi mellita labella
Porrigat; ô quanti quanta Alethia *Dea eſt?*
Illam vnam venerare, illam, veriſſime Vere,
Inq; animo, inq; oculis, cordeq;, & ore gere.
Non illi Iuno, non Pallas, non Charis vlla,
Non par alma Venus, non veneranda Themis.
Quid mirum, tantus ſi diligat Heroinam
Tantam Heros? quid ſi te quoq; Diua colat?
Macte iſta virtute Comes, veſtigia fige
Verorum: *verum nil magis eſt, nec erit.*
Iamq; Vale; & Veris *ſi nil eſt verius, ipſos*
Vince, alios vinces nobilitate pares.

¶ G. Harueij Apoſtrophe ad eundem.

Hoc noſtrum χαῖρε, *eſt; ſic, ſic tibi dicere* Salue,
Nobilibuſq; aliis placuit: tua ſplendida fama,
Grandiloquum magis expoſcit, Comes alte, Poetam.
Non tua ſerpit humi Virtus, non carminis orbe
Clauditur, æthereos penetrat mirabilis orbes.
Macte animo, flammaq; iſta, Prænobile pectus,
Te vinces, vinces alios; tua gloria paſſim
Oceanum glacialem vltra, ſpatiabitur ingens;

Anglia

Anglia te Patrium iamq; experiętur Achillem.
Perge modò, actutùm tibi Mars, tibi ſeruiet Hermes,
Ægiſonánſq; aderit Pallas, pectuſq;, animumq́
Inſtruet ipſa tuum: iampridem Phœbus Apollo
Artibus excoluit mentem: Britannica metra
Sunt cantata ſatis: teſtatur Epiſtola, quantùm
Excellas literis, ipſo mage Caſtilione
Aulica, compta magis: vidi tua plura Latina:
Anglica plura exſtant: Francáſq;, Italáſq; Camenas,
Et mores hominum multorum, arteſq; forenſes
Plenius hauſiſti: non fruſtra Sturmius ipſe
Cognitus eſt: non tot Francię, Italię politi,
Non Germaniades; calamum, Memorande, puſillum,
Exangueſq; libros, vſúq; carentia ſcripta
Abÿice: nunc gladÿis opus eſt: acuendus & enſis:
Vndiq; caſtra, homines, arma vndiq; ſæua loquuntur;
Et tormenta agitanda tibi: nunc vndiq; bella,
Vndiq; nunc Furiæ, nunc vndiq; regnat Enyo.
Ne cures Pacem: tibi Martia cuncta volenti
Succurrant: fac adportas adſtare Britannas
Hannibalem; fac venturum iam iamq; Ioannem
Auſtriacum, ingenti munitum hinc, inde phalange.
Fata ignota homini; neq; enim perſpecta Tonantis
Conſilia: & quid ſi ſubitò validiſſimus hoſtis
Irruat in noſtros fines? ſi Turca cohortes
Immanes in nos armet? Taratantara *quid ſi*
Terribilis tuba nunc reſonet? tu videris, an iam
Iamq; velis pugnare ferox: ego ſentio: tota
Patria noſtra putat: ferueſcit pectore ſanguis;
Virtus fronte habitat: Mars occupat ora; Minerua
In dextra latitat: Bellona in corpore regnat:
Martius ardor ineſt: ſcintillant lumina: vultus
Tela vibrat: quis non rediuiuum iuret Achillem?
O age, magne Comes, ſpes eſt virtutis alenda

Iſta tibi; prodeſt in pace horrentia Martis
*Arma agitare viru*m: Multum eſt aſſueſcere, & Vſus
Cuncta valet: *potes ó, potes ó fortiſſimus eſſe.*
Vt bellum non ſit, tamen eſt prænobile quiddam
Bellica laus: nomenq; Ducis Magnatibus aptum.
Quod ſequitur, ſpectare decet: *quodq; immineat; ante*
Proſpicere: vt Princeps, *qui pacis tempore exposs*
*Cum famulis peragran*s; *Quæſo, inquit, ſi modò collem*
Hunc hoſtes, ſi montem illum iam fortè tenerent,
Quid faceretis? vter noſtrum munitior eſſet?
Pars vtra victricis ferret præconia dextræ?
Quo pacto peteremus eos? quibus aggrederemur
Inſidijs? quæ pars nobis tutiſſima? quæ non
Tuta illis? fuga ſi conducat, ſi mora, ſi vis,
Si furor, vnde abitus nobis, aditúſq; pateret
Optimus? hinc montes, hinc flumina forſitan obſtent,
Hinc aduerſæ vrbes, inimicorumq; cohortes
Obſiſtant: multi caſus, incerta pericla
Bellorum: pugnæ ancipites: ſunt omnia mente
Anticipanda priùs: nec noſtra incommoda nobis,
Commoda nec debent minùs explorata videri.
Tu dic; quid faceres? tibi quid, bone Pyrrhe, videtur?
Quid vetcrane tibi? dicis prudenter: at iſtud
Difficile eſt: ſed mactè animis: Fortuna ſecundat
Audaces: tantùm metus eſt, ne ſentiat hoſtis
Illa ſchola documenta tua: ſolerter agenda,
Quæcunq; aggredimur; tantis Deus annuat auſis:
Diuum imitemur eum, qui partem ſpectat vtramq;.
Hæc, & plura ſuis Dux ille ſolebat amicis
Inculcare crebris ſermonibus, atq; feroces
Inflammare animos, Martemq; accendere in illis.
Tempora non belli, non exſpectauerat hoſtem:
Delicias inter, peramænaq; prata, duelli
Tractauit fabricas, arteſq; euoluit acerbas.

Sapiùs

Sapiùs idem etiam, (fuerit sed forsitan alter,
Id minimè refert) monumenta illustria rerum
Magnarum legit: sibi præstantissima quæq;
Ante oculos ponens, statuens q; imitarier illa.
Hoc faciebat, ait, quondam cristatus Achilles;
Fecerat hoc clypei Dominus septemplicis Aiax:
Hæ Diomedis erant artes: sic dirus Vlysses
Sæuit in Danaos: Palamedis & illa fuêre
Consilia: & illa fuit Stheneli sententia sæui.
Pelide sq; Neoptolemus, Menelaus & ipse
Hoc patrabat, & hoc: non Iuppiter illius ausa,
Non animos potuit compescere Martius Heros.
Non Fortuna domare istum; non cautior illo
Quisquam erat: aut hominum & cætu prudentior illo.
Quàm fuit hic validus? quàm forti pectore, & armis?
Quàm presenti animo? quàm non interritus vllis
Cladibus astiterat? quàm non sperata patrauit
Facta vetus miles? quæ ceperat oppida? strages
Quas dedit? ô superum cælestia numina, quanto
Terrore abiectos quatiebat feruidus hostes?
Cernis, vt irarum cunctas effundat habenas?
Vt domet indomitos animos? vt vi q;, dolo q;
Obuia prosternat, patriam q;, ac mœnia seruet,
Non peritura manu; technas q;, eludat inanes
Hostium, & inuicto bona protegat omnia Marte?
Omnipotens faueat, certum est imitarier huius
Facta viri: sequar ipse alios; vincam q; aliorum
Capta Ducum: faciam mea passim gesta canantur:
Arripiam vincendi ansas, omnes q; secutus
Bellatorum artes, causas q;, effectaq; rerum
Priscarum obseruans, homines q;, & tempora, & horas,
Et loca respiciens, & singula puncta volutans,
Haud verear maiora mihi cumulare trophæa.
Hic studiorum vsus, fructus q; erit iste meorum.

Iſta tibi; prodeſt in pace horrentia Martis
*Arma agitare viru*m: Multum eſt aſſueſcere, & Vſus
Cuncta valet: *potes ó, potes ó fortiſſimus eſſe.*
*Vt bellum non ſit, tamen eſt præ*nobile quiddam
Bellica laus: nomenq; Ducis Magnatibus aptum.
Quod ſequitur, ſpectare decet: *quodq; immineat; ante*
Proſpicere: vt Princeps, *qui pacis tempore campos*
Cum famulis peragrans; Quæſo, inquit, ſi modò collem
Hunc hoſtes, ſi montem illum iam fortè tenerent,
Quid faceretis? uter noſtrum munitior eſſet?
Pars vtra victricis ferret præconia dextræ?
Quo pacto peteremus eos? quibus aggrederemur
Inſidijs? quæ pars nobis tutiſſima? quæ non
Tuta illis? fuga ſi conducat, ſi mora, ſi vis,
Si furor, unde abitus nobis, aditúſq; pateret
Optimus? hinc montes, hinc flumina forſitan obſtent,
Hinc aduerſæ urbes, inimicorumq; cohortes
Obſiſtant: multi caſus, incerta pericla
Bellorum: pugnæ ancipites: ſunt omnia mente
Anticipanda priùs: nec noſtra incommoda nobis,
Commoda nec debent minùs explorata videri.
Tu dic; quid faceres? tibi quid, bone Pyrrhe, videtur?
Quid veteranè tibi? dicis prudenter: at iſtud
Difficile eſt: ſed mactè animis: Fortuna ſecundat
Audaces: tantùm metus eſt, ne ſentiat hoſtis
Illa ſcholæ documenta tuæ: ſolerter agenda,
Quæcunq; aggredimur; tantis Deus annuat auſis:
Diuum imitemur eum, qui partem ſpectat vtramq;.
Hæc, & plura ſuis Dux ille ſolebat amicis
Inculcare crebris ſermonibus, atq; feroces
Inflammare animos, Martemq; accendere in illis.
Tempora non belli, non exſpectauerat hoſtem:
Delicias inter, peramænaq; prata, duelli
Tractauit fabricas, arteſq; euoluit acerbas.

Sapiùs

Sapiùs idem etiam, (si fuerit sed forsitan alter,
Id minimè refert) monumenta illustria rerum
Magnarum legit: sibi præstantissima quæq;
Ante oculos ponens, statuens sq; imitarier illa.
Hoc faciebat, ait, quondam cristatus Achilles;
Fecerat hoc clypei Dominus septemplicis Aiax:
Hæ Diomedis erant artes: sic dirus Vlysses
Sæuijt in Danaos: Palamedis & illa fuêre
Consilia: & illa fuit Stheneli sententia sæui.
Pelidesq; Neoptolemus, Menelaus & ipse
Hoc patrabat, & hoc: non Iuppiter illius ausa,
Non animos potuit compescere Martius Heros.
Non Fortuna domare istum; non cautior illo
Quisquam erat: aut hominum & cætu prudentior illo.
Quàm fuit hic validus? quàm forti pectore, & armis?
Quàm presenti animo? quàm non interritus vllis
Cladibus astiterat? quàm non sperata patrauit
Facta vetus miles? quæ ceperat oppida? strages
Quas dedit? ô superum cælestia numina, quanto
Terrore abiectos quatiebat feruidus hostes?
Cernis, vt irarum cunctas effundat habenas?
Vt domet indomitos animos? vt vimq;, dolosq;
Obuia prosternat, patriamq;, ac mœnia seruet,
Non peritura manu; technasq;, eludat inanes
Hostium, & inuicto bona protegat omnia Marte?
Omnipotens faueat, certum est imitarier huius
Facta viri: sequar ipse alios, vincamq; aliorum
Capta Ducum: faciam mea passim gesta canantur:
Arripiam vincendi ansas, omnesq; secutus
Bellatorum artes, causasq;, effectaq; rerum
Priscarum obseruans, hominesq;, & tempora, & horas,
Et loca respiciens, & singula puncta volutans,
Haud verear maiora mihi cumulare trophæa.
Hic studiorum vsus, fructusq; erit iste meorum.

O cordatum hominem: quis tanto encomia Regi
Vlla neget? quis non superûm dignetur honore?
Quis non huic miles, non militet Imperator?
Prouidus haud vnquam miser est: *in pace labores,*
At q̃ sitim, at q̃ famem, frigusq̃, æstumq̃ molestum;
Et vigiles tolerare decet, noctesq̃, diesq̃,
Armaq̃ terribili vibrare minacia dextra.
Desipiant inimici: hostes requiete fruantur:
Tempo. is & Lenocinio, pacisq̃ iocosæ
Blanditijs vtatur iners: mihi nobile magni
Principis Oráclum, tanto magis esse beatum,
Persuasit, quanto fuerit, *duce quisq̃ Minerua,*
Sollicitus magis: *ô summo vox digna Tonante.*
Persuasit Princeps Medicorum, vt sanus, & omni
Liber ab illuuie morborum, aduersùs eosdem
Muniam ego corpus, præceptaq̃ cuncta salutis
Assiduè versem, reprimamq̃ obstantia quæq̃.
Persuasit probrum esse ingens, vetus ille poëta:
Vos etenim Iuuenes, animos geritis muliebres.
Et placet, & semper placuit, semperq̃ placebit,
Vosne velit, an me regnare Hera, quidue ferat sors,
Virtute experiamur, *erat sententia Pyrrhi,*
Magnanimi Aeacidæ sententia digna furore.
O Comes, ô Heros, Pyrrho generosior ipso,
Talia volue animo: meliora occurrere possunt,
Occurrent q̃ tibi: summa est in pace voluptas,
Castra, acies q̃ animo, clypeosq̃ agitare feroces,
Fulmineosq̃ globos, tormentaq̃ dira librare.
Ast memorem moneo: tu Martemq̃, Mercurioq̃
Propitio, vrbanæ socias castrensia laudi;
Quoq̃ ingens tua te Virtus vocat, is pede fausto.
Parce precor: quicunq̃ rogat præstare, quod ipse
Iam facis, hortando tua prædicat acta, probatq̃.
Certè ego, ne dixisse nihil dicendo viderer,

Vtq; meum tibi χαῖρι, aliquantò gratius esset;
Materiem elegi, tantis ardoribus aptam.
Forte salutaret simili te Patria voce,
Quam vos, Magnanimi Heröes, seruare duello,
Incolumemq; alma debetis reddere Paci.
Principibus hæc cura viris: hæc Nobilitati
Conuenit: oderunt ignauos sydera: fortes
In solio decoris statuunt: & honore coronant.
Tu, tu perge alacri, Pectus prænobile, sensu:
Ipse Polus cæptis aderit, ridebit & Aether,
Applaudetq; tuus: dabit omnia fausta supremus
Iuppiter, ô tantas noli contemnere laudes.
Iamq; iterum, Generose, vale: non gratior vllus,
Non imagè charus adest: tibi Dicit quisq; salutem.



¶ AD HONORATISSIMUM, fortiſsimumque virum, CHRISTOPHORVM HATTONVM, Equitem Auratum, atque Regiæ Maieſtatis Conſiliarium, De ſuo Symbolo, Fœlix Infortunatus.

ESt alter Fœlix, non Fortunatus: at alter
Non fœlix, fortunatus: ſed & alter vtrag;
Dote caret, neq; non infœlix, nec minùs idem
Infortunatus: ſunt & quibus vtraq; dos eſt,
Et ſunt fœlices, fortunatiq; Magiſtri,
Inq; oculis hominum ſpectati, ampliq; videntur.
Haud tu inter primos, quem ſic Fortuna beauit,
(Da veniam audaci, Generoſe HATTONE, *Poeta)*
Es fœlix etiam: non conuenit altera claſſis:
Tertius ordo minùs: tibi congruit vltima ſedes,
Tu ſedi: nec te quiſquam fœliciur vno
Magnanime HATTONE *eſt, nec fortunatior vllus.*
Cuius virtutem ſic fœliciſsima Princeps
Ornat, amat, decorat, miratur, honore coronat.
Cuius magnificas dotes, pectuſq; virile,
Robuſtumq; animum Britannia tota celebrat.
Sydera cui bona cuncta volunt: cui ventus, & aër
Suauiter aſpirant: quemq; omina fauſta ſecundant.
Vnde igitur, Fœlix Infortunatus, *in Armis?*
Vnde Emblema tuum? fœlix HATTONVS, *& idem*

Fortunatus

Fortunatus homo est, nisi forsitan haud tibi fælix,
Cui Fortuna fauet, Dea nobilis, esse videtur.
At quid Aristoteli, Memorande HATTONE, *repugnas?*
Ille etiam bona Fortunæ vult esse beato,
Fæliciq; suo: (nemo non dixerit istum
Summè fælicem:) Vulgus facere illa beatum
Sola putat: nec deest sapientum, credo, senatus,
Qui Vulgo applaudat: docti, indoctiq; fatentur
Interdum: verè forsan; sed nescio; non sum
Fortunatus adhuc, nec me reor esse beatum
Propterea; sic me Vulgus, sic ipse fefellit
Noster Aristoteles: huc, huc illabere tandem
Diua benigna; manus mihi sunt, sunt ecce capaces.
Sim Danae; in gremiumq; meum diuinitùs Imber
Aureus impluuio descendat fortunato.
Non Bona Diua venis? videor, semperq; videbor
Infælix nimus, atq; miser: tua denique Suada
Non mihi, non, Generose, mihi persuaserit, esse
Infortunatum Fœlicem, *non tibi mille*
Si Musæ assistant, Facundiaq; ipsa loquatur
Ore tuo: liceat venia mihi, paceq; tanti
Dicere vera viri: sed nunc intelligo: Fœlix
Infortunatus; *quia sola nititur ille*
Nobilitate sua, circumfert omnia secum,
Quæ sua sunt; in seq; ipso fundamina figens,
Nec Casum metuens, aliena, externaq; cuncta
Despicit ex alto; cordatus vbiq; Satelles
Virtutis, decorisq; ampli; non seruulus huius,
Non huius, non illius; non denique tanquam
Mancipium Fortunæ aliquod, succumbere nouit;
Erecto, celsoq; animo, semperq; parato.
Id nihil est? quid si careant successibus acta,
Exitus & studijs si non respondeat? & si
Multa cadant inter calicem, supremaq; labra?

Infortu-

Infortunatus *iam iam referetur? at isto*
Quisq; modo poterit Fœlix: *aliquando vocari*
Infortunatus: *nihil omni ex parte beatum;*
Non homo, non tellus, non quod tegit omnia, Cælum.
An tibi Virtuti Rhamnusis iniqua videtur?
Et magis arridet, cuicunq; irascitur illa?
An Casum? an Nemesin damnas? an vincula Fati
Nectis? & instabilis Diuæ aspernare fauorem?
Alea num nocuit? num tessera? num tibi iactus
Fortuiti detrimento; chartæq; fuêre
Depictæ? num te fiducia falsa fefellit?
Num vaga spes: incerta fides: rota lubrica mundi?
Num dubij rerum euentus? venalia Iura:
Inconstans amor: Inuidiæ secreta venena:
Spicula liuoris? num sol? num sydera vanos
Aspectus, & signa notas habuêre nefastas?
Stoicus an Fœlix *cordi est? saluusq; videtur*
Naufragus in pelago? Zenonia num tibi secta
Arridet? laqueiq; placent; intortaq; vincla;
Et Phalaris taurus; Priameiaq; fata, cruentis
Eumenidum insignita notis? an nobile laudas
Martyrium, misereq; habitos vis esse beatos?
Et mundi pompam, ludibriaq; omnia temnis,
Solaq; tranquillæ celebras vestigia vitæ?
Vnicus an fœlix tibi Lazarus? & tibi Cæsar,
Et Salomon miser est? & siquis filius albæ
Gallinæ fuit, aut sicui Fortuna secunda est?
Anne vetustorum tibi vana poëmata Vatum?
Virtus, Fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitijs parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam Rex,
Et quicquid volet, *ô veri sententia Vatis.*
Et genus, & formam, Regina Pecunia donat,
Et benè nummatum decorat Suadela, Venusque;

Carmen item vetus est: & vero verius ipso est,
Prima fere Vota, & cunctis notitissima templis,
Diuitiæ vt crescant, vt opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro. *cui non audita Camæna?*
Hæccine, & eiusdem generis complura, virorum
Esse putas male sanorum deliria? nunquid
Non Dea, sed Fortuna tibi imperiosa virago,
Et Furia immanis, Præclare HATTONE, *videtur?*
Diuitias q̃ inter fumos, ludibria, bullas,
Fallaces q̃ vmbras, fugitiuaq̃ gaudia ponis?
At frustrà cerebrum excutio: mihi saxea fibra est,
Est acies obtusa nimis: solum hoc scio, Fœlix
Tu mihi, tu multis alijs, Cordate, videris,
Fortunatus *item: bona faxint Sydera Olympi,*
Semper vt esse queas, quod nunc es; pace, duello,
Seu Mars, siue Venus dominabitur: haud magè quisquam.
Fel Fortunatus, *vel* Fœlix *esse feretur;*
HATTONIQVE *album sibi quisq̃ præsabitur omen.*

¶ Epilogus primus.

FOr sit an hoc nimium est: sed tu, Clarissime, parce,
Parce pio Vati: voluit tibi dicere χαῖρε,
Aduentumq̃ tuum festus ornare Camænis.
Emblema oblatum est ab amico: perplacet, inquam,
Conditio, libuit q̃ ista ratione iocari.
Si quid delictum est, error, non culpa vocetur:
Da veniam: erranti: forsan magis apta deinceps
Occurrent, nomenq̃ ab eodem Carmine crescet
O Excelse tuum: placuit, semperq̃ placebit
Principibus scribendo viris mea prodere sensa.
Nemo hominum audaces vetuit, vetat esse Poetas.

¶ Epilogus secundus.

FInieram: *sed Musa loquax finire recusat;*
Et mihi; Fortunatus *erat, sed non erat, inquit,*

Magnus

Magnus Alexander Fœlix: *non ipſe beatus,*
Ipſe licet toto Victor regnaret in orbe.
Cur ita quæſo? inquam: Nonne ebrius inter amicos,
Et furibundus erat? Mæchuſq́, Homicidaq́, truxq́
Prædo, Gygaſq́ ferus, Diuûmq́, hominumq́ ſuperbus
Oſor, ait; terræq́, poliq́ inimicus, & hoſtis?
Finge hunc fœlicem: cur non Deus ille beatus,
Quem Fortuna, Erebi Dominum, Regemq́ creauit,
Imperium attribuens toto ſpatioſius orbe?
Magnus *erat; ſed magnus erat nebuloq́, latroq́,*
Vaſtatorq́ orbis, conſummatuſq́ Tyrannus.
Dixit, & aufugit: fugientem inſector anhelus,
Donec ad extremum chartam quaſi neſcia pulchram
Perderet è gremio: (namq́ hinc mihi pone ſequenti
Lapſa videbatur:) quam dum me tollere cernit,
Ridet, & aligero contendit ad atria curſu,
In charta verò (liceat mihi vera fateri,
Fortunate, tibi) aureolis inciſa figuris
Cantio erat, non viſa homini, non ante relecta:
Forte oculis quoq́ digna tuis: (neq́ enim nihil ſcripta
Dextra hominis viſa eſt; poterit nouitate iuuare,
Si minùs ingenio placeat:) lege, ſi lubet, aut ſi
Non lubet, irato, Muſam, quæ perdidit, ore
Corripe: vafra ſuum prius illa fefellit alumnum.
Iamq́ Vale, Cordate, Heros, chartamq́ Thaliæ,
Si minùs arridet, generoſa contere dextra.

¶ Muſæ Cantio, in Effigiem Alexandri Magni, Principis maximè omnium Fortunati, miniméque Fœlicis.

VNus Peleo Iuueni non ſufficit orbis:
Magnus & ille orbi: paruus & orbis ei.
Mirum vtrunq́ nimis: Iuueni non ſufficit vni,
Qui ſenibus pluſquam mille ſat, & ſuper eſt.

Dicite Reginæ, Regesq́, Ducesq́, Tyrannique,
Vnicus anne vni non satis orbis erat?
Sunt ita quidam homines, natura, animisq́ tumentes,
Hos vt mille homines, Milleuiros q́ putes.
Vnus Alexander nunc est mihi mille Tyranni,
Nunc mihi mille homines; nunc mihi mille duces.
Nescio quis veterum, Mundos mille esse putauit:
Mille habeat Mundos Milleuir *iste sibi.*
Quisq́ suum Mundum digitus: coma quæque gubernet:
Mille alios Mundos sustineat q́ Caput.
Mille alios humeris imponat: mille lacertis:
Mille pedi: Bajulus *non tibi* Magnus *erit?*
Quis non hunc tantum dignetur nomine tanto?
Magnus *es, ignosco:* Magnus at es bajulus.
Haud magè Fortunatus *erat, me Iudice, quisquam,*
Dum victor toto regnat in orbe potens.
Dum domat indomitas gentes: dum subiugat hostes:
Nomine dum Magnus *maxima quæque patrat.*
Sed nec erat magis Infœlix, *me Iudice, quisquam,*
Obrutus imperio dum iacet ille suo.
Dum moritur Iuuenis: dum se, suaq́ omnia perdit:
Ad Furias Orci dum furiosus abit.
Dum post fata illi nemo succrescit Homerus,
Qui magno Magnum *præferat Aeacidæ.*
Dicite Mortales, Quis Fortunatior *illo?*
Attamen haud Fœlix, *quis negat? ille fuit.*

¶ Emblema ex Iconibus Th. Bezæ.

Alexander ipse hausto veneno moribundus loquitur.

POst Persas fusos, quæsitasq́ Orbis habenas,
Armis non potui cedere, cedo dolis.

¶ AD

¶ AD NOBILISSIMVM, humaniſsimúmque Iuuenem, Philippum SIDNEIVM, mihi multis nominibus longè chariſsimum.

TEné ego, te ſolum taceam, Præclare Philippe,
Quemq́ alię gentes, quęq́ ora externa loquũtur?
Non faciam, non ſi cerebrũ mihi Pallas obumbret,
Non ſenſus mihi ſi Phœbus contundat acutos,
Et ſiluiſſe aliquando velit, qui multa locutus
Tandem etiam à Muſis, & Apolline deſeror omni.
Si nihil eſt, laudabo genus; laudabo Mineruam;
Laudabo ingenium, mores laudabo venuſtos;
Ingenuas laudabo artes; dicamq́, Minerua
Propitia puerum didiciſſe fideliter illas.
Ecquis eum minùs optatum, gratumq́ venire
Crediderit cuiquam; qui talibus ornamentis
Venerit excultus, taliq́ incedet amictu?
At tua ſunt priuata magis Præconia: Te, te
Gallica Nobilitas; te, te Germanica valde
Admirata fuit; te, te nouus Induperator
Mirificè coluit; (celebris Legatio multum
Addiderat decoris); tam forti pectore, tanto
Iudicio, tam ſpectata virtute refertum,
Tot literis Iuuenem: Stephanus *tibi multa trophæa*
Ingenij ſtatuit: Languetus *plura: ſed vnus*
Plurima Banoſius, *niueo ſignanda lapillo;*
Banoſius, *pars magna animi, bona portio noſtri.*
Quid mirum, ſi te ſtupeat Britannica pubes;
Aula probet; faueat Princeps; vtrunq́ Lycæum

Delitias inter foueat; Reſpublica tota
Amplectatur, amet, miretur, laude celêbret?
Sic Superi voluêre; boni, nimiumq; benigni
Sic Superi voluêre; Anglis Miracula ſemper
Eſſe aliqua, in quibus emineat Virtuſq́, Fideſſq́,
Relligioq́, Artéſq; omnes, cunctiq; Lepores:
In quibus ipſæ habitent Muſæ, dominetur Apollo;
Et Charites, Veneréſq; inſint; regnétq; Minerua;
Mercuriúſq; ſuas vires, Pandora ſuáſq;
Exerat; atq; Themis, Facundiáq; ipſa, bonique
Quotquot vbiq; adſunt, Genij ſua numera iactent.
Quos digitis monſtret populus; dignóſq; triumphis
Tergeminis ſtatuat; ſertíſq;, & honoribus ornet
Omnigenis, ſummumq; adeo ſuper æthera tollat.
Hos inter, ſiquis primas, Memorande Philippe,
Attribuat tibi, cui Superi bona cuncta dedêre
Corporis, ingenij, Naturæ, Fortunæq;;
Næ præclarè illum facere, ac ſentire putabo,
Iudicióq; eius nitetur noſtra Thalia.
Fortunata Domus, cui talia pignora: fœlix
Et Pater, & Mater, Sidneiorumq́ propago
Integra; ter fœlix, ter fœliciſſimus ipſe,
Qui q; domum, patrem q; ornas, matremq́, genuſq́.
Sic florens, SIDNEIE, *diu: tua gloria creſcat*
Quotidiè magis, atq; magis: præconia ſemper
Vel noua, vel maiora tibi cumulentur: honores
Accedant inſperati: ſpes altra voceris
SIDNEII *decoris; ſpes altera Varuiciani*
Nominis; (ô viuat, ſed viuat Auunculus); altra
Leiceſtri quoq; ſplendoris (ſed Auunculus, ô ſed
Viuat in æternum); Præclare Philippe, voceris.
Teq; omnes reputent Sidneio, Dudleioq;
Stemmate, gente, domo, decore, amplitudine dignum.
Principijs nihil eſt illuſtrius: vltima primis

Si paria exſtiterint; (ſed erunt æqualia; Phœbus
Maiora, inquit, erunt; ſpondet q̃ amplißima quæq;
Veridicus Vates:) Deus, ô Deus optime, quantum
Fulgorem adijcies patrijs Laribúſq;, domoq́;;
Nobilitati etiam, Maieſtatiq; Britannæ?
Quæ mea de tantis ſpes eſt ter maxima ſpebus.
Crede mihi, tua me ſic afficit Inclyta Virtus,
Vt quiduis ſperare queam, præter omnia ſumma.
O voti compos fiam, Sidnëiaq; vbiq;
Laus volitet, celſúmq; feratur ad æthera ſurſum.
Plura alias: nunc Muſa iubet defeſſa tacere:
χαῖρε alijs dixi: tibi dico χαῖρε, Valéq;.

¶ Elegia ad eundem, paulò ante diſceſſum.

SVm Iecur, ex quo te primùm Sidnëie vidi:
Os, oculoſq; regit, cogit amare Iecur.
Hinc varios miſcere logos, & plurima tecum
Verba agitare iuuat, facta agitare iuuat.
Et quia nunc Aula pariter verſamur in vna;
Et quia conueniunt Aulica ſola loco,
Et quia, ſi quiſquam eſt magis, & minùs Aulicus altro,
Tu viſus ſocijs Aulicus eſſe magis.
Aulica nunc volupe eſt tornare poëmata, meq́;
Caſtilion: o conciliare choro.
Aſpira cæptis Sidnëie candide noſtris:
Et mea forſan erit Aulica Muſa ſatis.
Caſtilio *primas*; Caſa *vendicet ipſe ſecundas*;
Tertia pars Guatij *eſt: quarta futura mea eſt.*
En tibi, more meo paucis aſtricta Camœnis,
Quæ tres tam longis exhibuêre logis.
Finge hominem expertum, rerumq́;, Aulæq́; peritum
Dicere: Carminibus gratia maior erit.
Fac vnum ex Dominis natu maioribus, illa
Tradere, quæ noſtro viderat ante foro.

Qua

Quæ didicit Iuuenis: quæ laudauêre Parentes:
Regia quæ nunquam non probat Aula: ſat eſt.

G. Harueij Caſtilio, ſiue Aulicus.

CAſtilionæus ſiquis velit Aulicus eſſe,
Imprimat hæc animo dogmata pauca ſuo.
Seu Beneuentinus malit Galateus haberi,
Menti eadem infigat dogmata pauca ſuæ.
Suauis in ore Lepos; in vultu Gratia regnet;
In, quaſcunq; gerit rebus, amica Venus.
Seu quid agit, ſeu quid loquitur, peramabile quiddam
In factis, dictis emicet vſq; ſuis.
Semper & affectet quauis ratione Decorum:
Quodq; agit, intentis viribus illud agat.
Sic tamen, vt cura hinc, labor hinc videatur abeſſe;
Haud ſecus ac faceret pollice cuncta leui.
Namq; vbi cura deeſt, vix eſt laudabile quicquam:
Et ſi cura patet, Gratia tota perit.
Omnibus eſto Comes generoſa Audacia cæptis:
Attamen illa pudens, illa modeſta ſiet.
Aut ſaltem eſſe pudens videatur, & eſſe modeſtus;
Sit licèt Aiacis fronſq;, animuſq; ſibi.
Multa iuuant, (iuuat in primis fiducia) quorum
Nemo Profeſſor erit, quiſq; Magiſter erit.
Dedecet & faſtus; iactantia dedecet omnis;
Dedecet & proprio quod fluit ore decus.
Corporis, atq; animi laudata exerceat acta:
Bellè equitare ſciat: tela vibrare ſciat.
Pingere item pulchrè, pulchrum eſt: Luctatio, Curſus,
Muſica, (Dij) quantùm pectora noſtra iuuant?
Adde pilam; vecteſq; pilæ ſuperadde retortos;
Solertiq; enſes exagitato manu.
Hoc tamen, hoc caput eſt, Artem ſi noſcat amandi:
O ea quàm multis profuit vna viris?

Sed

Sed neq; venandi, saltandi nesciat artes;
Principem & ingenuis implicet vsq; iocis.
Calleat & nostras literas, lepidumq; poema
Texat, & vrbanos curet habere sales.
Nec iura ignoret Ciuilia; resq; forenses,
Ac Regum Causas prompte agitare sciat.
Vrbium item ritus, magnorum Edicta Tyrannûm,
Et titulos, & opes, gestaq; cuncta notet;
Prælia Alexandri, Pompeij, Cæsaris, acri
Iudicio, atq; Ducum fortia facta libret.
Hic se Mercurium; sese illic præstet Vlissem;
Inq; manu linguam, cor q;, animumq; gerat.
Polleat in multis, sed præter cætera in Armis,
Hectoris & faciat, non modo facta legat.
Gaudeat in Castris: Insignia bellica captet:
Oblectetur Equis, magnanimisq; feris.
Semper & excelso videatur pectore; facta
Et comitetur Honos, dicta sequatur Honos.
Quis siet, & quando, quid, vbi, cur, quomodo dicat
Cogitet, ac videat quatenùs illa decent.
Nil faciat, ne voce quidem, quo dicere possit:
Pœnitet; haud prudens, haud benè cautus eram.
Sed neq; quid faciat, de quo quis dicere possit:
Sordidum erat; quotus id quisq; probare queat?
Quantumcunq; vales, cunctis Generose, placeto:
Omnium & horarum fac reputeris homo.
Omnis Aristippum decuit color, & locus, & res:
Huius facta animo sæpe reuolue tuo.
Siquid inest stolidi, fac cautiùs arte tegatur:
Si benè quid peragas, haud latuisse velim.
Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter:
Ad decus, ad pompam, ad præmia, cuncta refer.
Et popularis eris, digitoq; notarier vno
Cordi erit, & compti nomen habere viri.

Nec satis ipse tibi facias, dum quisq; politum,
Eximiumq; hominem, conspicuumq; vocet.
Summa ea cunctorum, mea me nisi Musa fefellit,
Castilionæi quæ docuêre libri.
Summa etiam illorum, nisi me quoq; Musa fefellit,
Quæ Beneuentino sunt memorata libro.
Omnia vis paucis? vt ameris, amabilis esto:
Haud vllo desit Gratia bella loco.
Castilionæus iam iam Aulicus esse videris,
Non opus est Guatio; non monitore Casa.
Disce tamen, quæcunq; tibi discenda supersunt:
Arte venit primò, crescit & arte Lepos.
Hora magistra eius, quod quæris vbiq; Decori:
Hora probat mores; improbat hora tuos.
Expertus poteris constanti dicere vultu:
Non satis illa decent: & magis ista decent.
Sunt imitanda tibi clarorum Exempla virorum:
Forsitan & dices: sunt satis ista mihi.
Credo equidem, Præcepta tibi vix vlla deesse,
Si benè summorum facta sequáre Ducum.
O ea si Natura mihi, Fortunaq; adesset;
Quæ, Galatæe, Arti debet adesse tuæ.
Castilionæos, Beneuentinosq; magistros
Molirer scriptis exsuperare meis.
Sunt præcepta mihi, sunt mille exempla Decori:
Quæq; illis Methodus defuit, illa subest.
Sed nimis ipse meis indulgeo forte Camœnis,
Ac mihi quis poterit dicere: stulte tace.
Agnosco errorem, nec erant tamen ista tacenda,
Vrgenti monitus meq;, alioq;, meis.
Excute de manibus calamum, generose, procacem:
Ni facias, metus est ne nimis alta canam.

De

De Aulica.

FOemina quid faciat, si qua velit esse ministra
Regia, & augustis Aulica serua locis?
In lingua eniteat bellissima Gratia: in ore
Ipsa Venus sedeat: rideat ipsa Charis.
In fronte, inq; oculis, in crinibus, inq; labellis,
Pulcher, & allectans luceat ille Decor.
Seu quid agit, seu quid loquitur, per amabilis vsq;
Aulica delicijs mulceat ora suis.
Et licèt in primis huic Affectatio prosit:
Qua sine sperat vmquam nescit habere decus:
Ne tamen emineat, vigili contendere ocello
Debet, & hanc varijs dissimulare modis.
Pulchra siet, morata siet, benè nata puella:
Et bona si non sit, bella sit illa tamen.
Et festiua iocos argutos noscat ad vnguem:
Ingenijq; omnem noscat habere sales.
Deglabret, lauet, atq; vngat, siquando necesse:
Consilio speculi cunctaq; membra regat.
Et regat arte pedes, & lumina temperet arte;
Purpuret arte genas; collocet arte comas.
Arte labella premat rubicundula: rideat arte:
Arte manus, facies, pectora, colla ferat.
Interea tamen Ars Casus videatur, & Artem
Ipsa suam, damnet, deliciasq; suas.
Namq; ea si lateat, multùm super omnia confert:
Et deprensa semel, sapius illa nocet.
Saltet item, pingatq; eadem, comptumq; poëma
Pangat, nec Musas nesciat illa meas.
Quin etiam cantu tenero, fidibusq; canoris,
Et blanda recreet seq;, alioq; chely.
In primis vigeat per amabilis illa venustas,
E qua fœmineo flagrat amore procus.

Cætera & expediat generoſa munera Donnæ,
Donnæ, Caſtilio quam facit eſſe Deam.
Parcite inexperto, Molliſſima pectora, vati,
Non pigmenta illi cognita veſtra ſatis.
Penſaq́ ſunt illi, ceu myſtica vannus Iacchi,
In quibus haud leuis eſt gloria veſtra, Deæ.
Hoc tantum, hoc verè liceat iactare; Poëta
Si quid habet, debet, pulchra puella, tibi.
Atq́ ego, ſi cuiquam videor fortaſſe Poëta,
Hinc ſum: nota Venus, nota Corinna mihi.
Et mihi cognita ſunt mille ornamenta Perillæ:
Cynthia nota mihi; Lesbia nota mihi.
Briſſeis, Cleopatra, Iöle, Laus: deniq́, quæ non?
Seu Graia illa foret, ſiue Latina foret.
Diſcite, quæ faciem commendet cura puellæ,
Notum etiam: & quicquid tale poëta canit.
At tamen haud lectus, ſed lectio ſola poëtam
Fecit, & in multis ſum rudis ipſe nimis.
Pauca tamen arcei myſteria callec; & illa
Vix etiam agnoſco viſa, relecta ſcio.
Quærite Boccatium, Cauicæum, Caſtilionem,
Naſonemq́ meum, Virgiliumq́ meum.
Syluius Æneas, Danthes, Baptiſta, Petrarcha,
Callimachuſq́ vetus, Callimachiq́ noui.
Hædus item, & Bembus, Lucianus, Monophiluſq́:
Et quoſcunq́ alios Tuſcana ſecta probat.
Cunctæ hominum Veneres; nouus & ſi fortè Cupido
Prodeat, ô primum vendicet ille locum.
Præcones mulierum omnes, ſcribæq́, prociq́
Hæc in delicijs Bibliotheca *ſiet.*
Chauceruſq́ adſit, Surreius & inclytus adſit:
Gaſcoigneq́ aliquis ſit, Mea Corda, locus.
His quoq́, ſi placeat, Medicos ſuperaddite quoſdam:
Sunt etiam in Phyſicis dramata pulchra libris.

Deniq́

Denig; (si fas est, quod nescio, dicere) multùm
Aulica consilio proderit vna vetus.
Hæc queiscung; aderit noua Bibliotheca *puellis:*
Haud vnquam deerit Gratia, forma, decor.
Dicite, vt arridet mea Bibliotheca, *Puellæ?*
Non alia exspectem Symbola; Quæg; tacet.

ELENCHVS SINGV-

lorum Capitum, atque rerum, in his li-
bris, comprehensarum, à Ricardo Harueio,
Gabrielis fratre, paulò ante conscriptus,
quàm libri ipsi, typis excusi, ederentur.

LIB. I.

Rhapsodia prima ad Illustriss. Reginam;
In qua insunt

- Epigrammata
  - Camillæ Morellæ, virginis Francæ.
  - Gualteri Haddoni, Angli.
  - Abrahami Hartuelli, Angli.
  - Petri Bizzari
    - vnum Latinum.
    - alterum Græcum.
  - Benedicti Varchij. } Italorum.
  - Bernardini Thomitani. } Italorum.
  - Cornelij Amalthæi. } Italorum.
  - Vulpiani Veronensis. } Italorum.
  - Caroli Vtenhouij, Patricij Gandauensis.
  - Georgij Buchanani Scoti tria
    - vnum de Regina, & Vtenhouio.
    - duo in effigiem Reginæ.

Poetæ ipsius χαῖρε.
Audleianarum Aedium Prosopopœia.
Valdini Prosopopœia.
Dialogismus Poetæ, Echûs.

- Epigramma
  - In effigiem sereniss. Reginæ,
  - atque festum Regiæ Inaugurationis diem.

Octo Hexasticha in effigiem Reginæ.

Epilogus Heroicus; cuius duæ partes { vna de osculo Regio. / altera de vultu Itali.

Duorum Italorum Xenia Encomiastica;
Pandolphi Strozzæ, } In G. Harucij Smithum, seu Musarum Lachrymas.
Cosmi Roseletti, }

LIB. II.

Rhapsodia secunda, ad Nobilissimum Comitem Leicestrensem.
In qua Poetæ ipsius votum.
Corollarium Edouardi Grantæ, in Symbolum Gentilitium Honoratissimi Leicestrensis.

Epigrammata { Petri Bizzari duo. / Vidami Chartresij, nobilis Franci. / Caroli Vtenhouij. / Gualteri Haddoni. / Abrahami Hartuelli.

Sui ipsius χαῖρε.
Epigramma Prosopopæicum in Effigiem Machiauelli.
Mercurius Florentinus, vel Machiauelli
ἀποθέωσις, { in qua Medicæorum Hymnus.
Emblema è Græco τοῦ Σαμίου.

Duo Epigrammata Prosopopæica { alterum in Effigiem ipsius Leicestrensis. / alterum in effigiẽ nobiliss. fortissimiq; fratris, Comitis Varuicensis.

LIB. III.

Rhapsodia tertia ad Honoratiss. virum, D. Burgleium.
In qua Poetæ ἀπορία.

Epigrammata { Caroli Vtenhouij. / Abrahami Hartuelli. / Gualteri Haddoni. / Petri Bizzari.

Sui ipsius χαῖρε.
Iani Ducæ Nordouicis Ode.

Duo Epigrammata Dialogica { vnum in Effigiem Democriti. / alterum in Effigiem Heracliti.

LIB. IIII.

Rapsodiæ quartæ pars prima
Ad Nobiliss. Comitem Oxonienſem.
In qua continentur

Dialogi duo { vnus de illius elegantiss. Symbolo. / alter in eiusdem aduentum optatiss.

Apostrophe Heroica ad eundem; de rei militaris, bellicarumq; Exercitationum

tationum cum v[illegible]tate, tum etiam dignitate.

Pars secunda

Ad Honoratiss. virum, Christophorum H[illegible]

In qua
- Poetica de illius Symbolo Dis[illegible]
- Epilogi duo.
- Musæ Cantio in Effigiem Alexa[illegible].
- Emblema ex Iconibus Th. Bezæ.

Pars tertia

Ad Clariss. Iuuenem, Ph. Sidneium.

In qua
- Poetæ χαῖρε.
- Elegiola ad eundem.
- Castilio, siue Aulicus.
- De Aulica.

¶ Eiusd[illegible]ichon, ad fraternos [illegible]n Valdinen-

ITe Libri f[illegible]iumq́,
Gloria; q[illegible] vocat.
Carminibus perm[illegible] Iudice, *vestris,*
Digna oculis hom[illegible]incipe digna Dea.
Sed mihi non fas est, Me Iudice, *dicere: fratrum*
Cæci oculi: tu dic Fama, oculata magis.

FINIS.

EXCVDEBAT LON-
dini, Henricus Binnemanus
Typographus.
Anno M. D. LXXVIII.
Calendis Septembribus.

CVM PRIVILEGIO.